ANDREAE MARINO ILLV-
STRISSIMI ET ECCEL-
LENTISS. THOMAE
DVCIS TERRAE NOVAE
FILIO
HIERONYMVS CLOCIVS
S. P. D.

AMVLTIS, & præſertim à Io. Paulo Riſio, cuius opera, ob excellens eius ingenium, & non uulgarem iuris ſcientiam, Illuſtriſſimus, atq; ornatiſſimus pater tuus, in maximis ſuis negocijs ualde uti ſolet, de tuis, fratriſq; tui laudibus eximijs, et propè diuinis, ſæpe audio. Ita enim uitam hac adoleſcentia ueſtra uos inſtituiſſe prædicant; ut cùm uiribus præſtetis, decoraq; facie, & maximè ingenio multum ualeatis, non uos luxui, aut ignauiæ corrumpendos dederitis, ſed pulcherrimis, & egregijs uirtutũ exercitationibus omne ferè tempus conteratis. Neq; uero uos ſolum corpus

exercere equitando, enſeq;, aut haſta cum æqualibus certando; Sed uehementer etiam obl ectari muſicis, atq; ijs ſtudijs, quæ ſecundas res maximè ornant, & uberrimos omni tempore, atque omni loco fructus afferunt. Ea autem uos eſſe animi modeſtia, probitate, ac moribus præditos, ut admirabilis ſit quædam nominis ueſtri caritas, & amor erga uos omnium penè ſingularis. Quibus rebus, dici uix poteſt, quantam lætitiam, ac uoluptatem amantiſſimus pater meus Geneſius capiat; Idque propter fidem, beneuolentiam, atq; obſeruantiam incredibilem, qua humaniſſimum patrem tuum ſemper coluit; breui enim futurum auguratur, ut ille cùm ſuis laudibus præclariſſimis, tum uobis filijs, longè omnium fortunam facilè ſuperet. Ego uero cùm hæc, quæ de uobis homines tam honorificè loquuntur, animo mecum diligentius uoluo, maiori admiratione uos dignos ſtatuo, quò et maioribus opibus floretis, et plures ſunt ijs temporibus, qui neglecta uirtute, in qua uerum decus poſitum eſt, inania quædam, ac leuia ſectantur. Quas ob res ita erga uos, quos tamen numquam uidi, affectus ſum, atq; accenſus, ut ſummo, et penè inaudito ſtudio uos proſequi mihi uidear; Itaq; cùm ad hanc meam lu-

cubra-

lucubratiunculam, nonnulli, & illi haud ſpernendæ eruditionis uiri, quibus eam uidere contigiſſet, quamprimum edendam, & in manus hominum emittendam ſummopere me impuliſſent; Hinc mihi oblatam facultatem eſſe putaui, explendi aliqua ex parte deſiderium, quod me ſemper tenuit, ut aliquando uobis, & quatenus ego poſſem, omnibus etiam mortalibus, illuſtriore aliquo officio, ac munere declararem, quanta qualiſq; eſſet animi mei erga uos propenſio, ac uoluntas. Et maximè, quia ſi ij ueluti fœtus, ac ingenij noſtri primitiæ alicui conſecrandæ erant; id nulli magis deberi uidebatur, quàm uobis, in quibus firmiſſimum, ac grauiſſimum præſidium nobis poſitum eſſe arbitrati ſemper fuimus. Sub tui uerò potiſſimum nominis inſcriptione, rem ipſam euulgare uolui, quòd te mirificè affici intelligebam ijs literis, ac diſciplinis, quibus nos ad omnem humanitatem informari ſolemus. Ego enim, cùm mihi ſpatium datum eſſet requieſcendi à iuris ciuilis ſtudio, & confugiendi ad manſuetiores muſas, ad quas interdum animi cauſa me transfero, poetæ noſtri ſuauitate, & quadam quaſi diuinitate raptus, atq; allectus, pulchriores ex eo tanquã floſculos more apum carpens, opuſculum quod-

dam

dam contexui ; eò quidem libentius , quòd id neminem ante hac exorſum eſſe non me prætetibat. Quantulumcunq; igitur illud ſit , Tu uelim hilari fronte accipias , & eo animo , ut aliquando maiora fortaſſe, et grauiora ætate progrediente expectes. Quicquid enim induſtria , quicquid labore , quicquid hac ingenij mei tenuitate conſequi potero , id omne ad tuam laudem , atq; amplitudinem me collaturum eſſe certo ſcito , Deus Opt. Max. te tuaq; omnia fortunet.

ROLANDI CAVAGNINI.

Perfacile eſt cuiuis aurum diſcernere cœno,
Seligere haud facile eſt, auro prætioſius aurum.
Aurũ Virgilius de ſtercore legerat Enni.
Aſt Hieronymus *hic iuris, legumq́; peritus,*
Gemmis de niueis, ac auro Virgiliano,
Legit Stellantes gemmas, & purius aurum.
Inde noua inſignem contexuit arte coronam,
Qua ſe ſe poſſit quiuis ornare; triumphum
Ergò ſibi peperit rarũ, quẽ nõ premat unquam
Liuor edax, rabies nec mordeat ullius æui.

HECTORIS NIGRISOLI.

Arcanos ſenſus, fatalia uerba, Maronis
Acri perſcrutans Clocius *ingenio,*
Mira hoc concluſit feliciter arte libello;
Vt ſit & hac nobis Græcia parte minor.

COLVMBANI BALLETI.

Dvm *latet ille Autor germanis exul in oris,*
Hæc mira in lucem Clocius *arte dedit.*
Pro reiecto opere, ĩmenſoq́; uolumine mirũ eſt
Hæc quã comprendat pagina, multa, breuis,

QVA mente lector in te ſit HIERONYMVS,
Libellus ipſe, quem tibi modo edidit,
Sat arguit. non dat tibi Gangetidem
Gazam, aut quod und s uoluit auricoloribus
Tagus. quid ergo? id maximè, cuius poteſt
Te lectio prudentiorem reddere,
Quare, ſi tibi nihil prius, ſeu antiquius,
Quàm nequid aut dicas, aut facias, q̃d minus
Deceat, huc oculos conijce ad perlucidas
Gemmas, agro quas ex gemmifero Vergilij
Selegit alta mente CLOCIVS, *tuis*
Subiecitq; oculis. hæ renident omnium
Mentis micantes undiq; intuentium
Illuſtrant aciem, ac indicant, quid ſentias,
Quid eloquaris, quiduè agas, ut prouidus,
Prudensq; rebus uſq; ſis in omnibus.

VINCENTII VECTIOLI.

ABſtruſos ſenſus aperit dum CLOCIVS *hoſce,*
Gaudia Virgilij tanta fuiſſe ferunt,
Illius ut manes ignes ſenſiſſe putentur
Interea nullos, & ſtupuiſſe ſimul.

PVBL. VIRGILII MARONIS VERSVS PROVERBIALES ALIQVOT COLLECTI A HIERONYMO CLOCIO CASALMAIORENSI.

NON eſt dubium, quin ad parœmiam prope accedere uideantur alluſiones illæ quæ ab aliquo inſigni, ac magnoperè celebri authore deſumuntur, tametſi quandoq; nulla adſit figura prouerbialis. Quod genus multa reperiet, cui uacabit legere ea quæ tum græci, tum latini authores diuinitus ſcripta reliquerunt. Sed licet in eorum literis multorum nobilium poetarum carmina adagionum inſtar uſurpentur, Homeri tamen uerſus magis frequenter uſurpatos deprehendet; ut hinc facilè coniectura aſſequi poſſimus, uerißimum eſſe quod refert Macrobius, Homero tantum honoris ab antiquitate habitum fuiſſe, ut pleraq; eius carmina prouerbiorum uice in ore om-

nium ſungerentur. Nonnulli uero tantum Homero tribuendum eſſe putarunt, ut decere dixerint quicquid ex eo quocunq; modo excerptum fuerit, etiam ſi, quẽadmodum in Centonibus fieri uidemus, uerba ipſa ad longè aliam ſententiam detorta fuerint, itaq; non defuerunt, qui in eo operam poſuerint, ut ex toto Homericæ poeſis corpore uerſus multos ſelegerint, quos ipſi ĩ prouerbij uicem transferri poſſe exiſtimarunt. Ego uero, cum mihi otioſo eſſe licuiſſet, non alienum eſſe duxi, ſi illud quod ab excellẽtibus uiris ĩ Homero factitatum eſſe ſciebam, idem ego tentarẽ in Marone noſtro. Neq; .n. futurum eſſe quempiam ſum arbitratus, qui id quod ipſi in Homero licere putarunt, idem quoq; non permitteret in Virgilio, qui iam apud latinos eam celebritatem aſſecutus eſt, quam ille apud Græcos; maiorem etiam aſſecuturus, niſi ob barbararum nationum in Italiam irruptionem, ac conſuetudinem latinè loqui iam deſijſſemus. Ad hoc enim operis aggrediendum eò etiam ardentius ſum impulſus, quòd iandudum animaduerti, ſi quando Maroniani uerſus a doctis citantur, multum Veneris eorum orationi, ac ſcriptis accedere, ſi rectè ac tempeſtiuè accommodati fuerint. Nihil enim mortale ſonat Virgilius, ſed in eius carminibus

diuina

diuina neſcio quæ, ac recondita uis ineſſe uidetur, ut nihil admirabilius ac iucundius ſimul dici excogitariue poſſit. Cæterum quamuis potuiſſem congerere multo plures uerſus, qui ad aliquam prouerbij rationem detorqueri facilè poſsũt; Tamen ijs paucis contentus fui, dum conatus ſum oſtendere, neque hac in re poſtponendum eſſe Virgilium Homero; Quam rem, qualiſcunque hic labor noſter fuerit, ſtudioſos æqui boniq; cõſulturos confido.

EX BVCOLICIS

De rebus imparibus, ſeu inæqualibus.

VBI quis imparia aut inæqualia cõparat, mirè conueniet Virgilianũ illud in Tityro

Sic canibus catulos ſimiles, ſic matribus hædos,
Noram, ſic paruis componere magna ſolebam,
Verũ hæc tantũ alias inter caput extulit urbes,
Quantum lenta ſolent inter uiburna cupreſſi,

Sanè prouerbium illud, Friuolæ ſunt aliæ ciuitates ad Crotonem, multum ſpectat ad id, quod de urbe Roma ibidem dicitur.

Ex animo meo nunquam effluet.

NEMO ambigit quin prouerbiale quiddam aſſerant ἀδύνατα Bucolico carmini familiaria, cuiuſmodi eſt illud Virgilij in eadem ecloga.

Antè leues ergo paſcentur in æthere cerui,
Et freta deſtituent nudos in littore piſces,
Antè pererratis amborum finibus exul
Aut ararim parthus bibet, aut germãia tygrim,
Quàm noſtro illius labatur pectore uultus.

Quibus quidem uerſibus uti licebit, cum pollicebimur fore, ut alicuius memoriam beneuolentia ſempiterna colamus, & nulla unquam ui futurum eſſe, ut ex animo noſtro excidat.

De profecturis in longinquas oras,

CVM in longinquas orbis regiones nos ituros ſignificabimus, optime congruet illud ex eadem ecloga,

At nos hinc alij ſitientes ibimus Afros,
Pars ſcythiam, et rapidũ Cretæ ueniemus Oaxẽ,
Et penitus toto diuiſos orbe Britannos,

Quæ omnia hyperbolicôs dicuntur, quo modo dixit & Iuuenalis,

Omnibus in terris quæ ſunt a Gadibus uſq;
Auroram, & Gangen,

Et Horatius in odis libro tertio.

Viſam pharetratos Gelonos,
Et ſcythicum inuioꝰ atus amnem,
Viſam Britannos hoſpitibus feros,
Idem alibi
Extremum Tanaim ſi biberes Lyce,

Vbi alij laboribus noſtris fruuntur.

*V*BI *eos, qui ſint indigniſſimi, & quos minimè omnium uellemus, Commoditatibus, labore, atq; opera noſtra partis frui conqueremur, pulchrè quadrabit illud ex eadem ecloga.*
En queis conſeuimus agros?

Qui ſibi accerſiuit optauit quæ nocuere.

*H*AVD *dubium, eſt quin prouerbialis ſchematis faciem habeat Maronianũ illud in Alexi*
Eheu quid uolui miſero mihi? floribus auſtrum
Perditus, & liquidis immiſi fontibus apros,
Vbi quis optauit ea, quæ ſibi perniciem allatura erant, uentus .n. præcipuè Auſter ob ſuam uiolentiam eſt admodũ noxius floribus, apri autem puros fontes cœnoſos, ac turbidos efficiunt.

Fuco non credendum,

CVM ſignificabimus minimè credendum eſſe fuco, aut contemnenda eſſe, quæ habent ſpeciem gloriæ collecta inaniſſimis ſplendoris inſignibus; haud intempeſtiuè afferetur illud ex eadẽ ecloga

Nimium ne crede colori,

pulchrè etiam quadrauerit in Rhetores, qui uerborum coloribus ueritatem plerunq; offuſcant, Vnde deductum eſt illud apud Iuriſconſultos, color quæſitus, cum id, quod uerè agitur, fraudãdæ legis gratia, uel alia ex cauſa, ſimulatione aliqua obtegitur.

Trahit ſua quemq; uoluptas

QVEMque ad id trahi, quod naturæ ſuæ congruum, & expediens eſſe ſentit, ad id conueniet illud ex eadem ecloga,

Torua leæna lupũ ſequitur, lupus ipſe capellam;
Florentem Cytiſum ſequitur laſciua capella;

Nec durè fortaſſis etiam tum torquebitur, cum innuerimus a potentioribus ſemper lædi minus potentes, et (ut uulgo iactatur) piſces grandes deuorare minutiores, Nam leæna potentior eſt lupo, lupus capella; Capella cytiſo.

Inchoata deſeruiſti,

In eum, qui opus inchoatum reliquerit, haud inſeſtiuè detorſeris illud ex eadem ecloga, Semiputata tibi frondoſa uitis in ulmo eſt.

Vbi princeps eſt uoluptati deditus.

SICVTI in republica multum habet momenti principis integritas, ita non bene cum ea agitur, cùm ille fœdiſſimis uoluptatum illecebris irretitus tenetur; principum enim cupiditatibus ac uitijs maximè infici ſolent ciuitates, eorundē autem continentia emendantur ac corriguntur. Itaq; cùm princeps uoluptate captus eſt, multa incommoda ſubſequuntur, Tum quia ea non ſtudet facere, quæ ad reformandum ciuium animos pertinent, tum quia illius exemplo alij deteriores redduntur, & , ut inquit Cicero, non tantum mali eſt peccare principes, quantum illud, quòd permulti etiam imitatores principis exiſtunt, unde dicebat Plato, Quales in Republica principes, tales reliquos ſolere eſſe ciues. Quoties igitur indicare libebit, quantum mali corrupta principis uita ſubditis afferat, feſtiuè accommodabitur uirgilianum illud in Palæmone,

Infœlix, o, ſemper, oues, pecus, ipſe Neæram
Dum fouet,

Et illud in eadem ecloga.

Idem amor exitium pecori, pecoriſq; magiſtro,

Sic Eumæus ſubulcus apud Homerũ inquit, malum paſtorem corrumpere oues.

Auſculta, & perpende.

Qui ſignificabit, ſe aliquid dicturum, quod maximi ſit momenti, & ad rem maximè pertineat, belliſſimè uſurpauerit illud ex eadẽ ecloga,

Senſibus hæc imis (res eſt non parua) reponas.

De rebus palam abſurdis.

Cum ineptè, uel indecorè, aut etiam præpoſterè aliquid fieri contingit, lepidiſſimè dicetur uulpes iungere, ut uirgilius in eadem ecloga.

Qui Bauium non odit amet tua carmina Mæui,

Atq; idem iungat uulpes, & mulgeat hircos.

Sanè & mulgere hircum, eundem quidem habet ſenſum, ſed id prius à Demonacte Cynico emanaſſe uidetur, nam (ut refert Lucianus) cum is interrogaretur quid ſentiret de conflictu duorum, quorum alter inepte proponebat, alter abſurdè reſpondebat, ait ſibi uideri, alterum quidẽ mulgere hircum, alterum uero ſupponere cribrum

brũ, quo dicto utriuſq; ſtultitiam facetè notauit.

Latet ſub melle uenenum.

Latet anguis in herba,

Hemiſtichium *eſt Virgilij in eadem ecloga, quod non ſine prouerbiali figura torqueri licebit, uel in ſcorta formoſa, uel in aſſentatores, qui coram blandi ſunt, occultè autem nocent, aut in inſidioſas uoluptatum illecebras, item in principum aulas, quæ habent neſcio quid blandum quod ad perniciem inuitet, & demum in omnes res quæ quidem ſpecie ipſa iucundæ ſunt, ſed quæ deniq; exitium afferant.*

Periculum fugiendum.

Cum *admonebimus ibi cautius agendum, ubi plerunq; maius periculum eſſe ſoleat, lepidè accommodabimus illud ex eadem ecloga,*

Non bene ripæ
Creditur;

Feſtiuè autem torquebimus cum admonere uoluerimus quempiam, ne rem ſuam alicui credat, uel eius conſilio nimium fidat, qui proprias fortunas non rectè geſſerit; Ne uè in principum, ſeu

potentiorum fauore ſpem ponat, cum tale genus hominum imbecilliores ſæpe fallat.

Vterq; præclarè ſe geſſit.

C V M *duo in literaria contentione, ſeu quauis alia in re æquè egregiè, ac laudabiliter ſe geſſerunt, non inconcinnè proferetur illud ex eadem ecloga,*

Et uitula tu dignus, & hic.

Vir inſignis ac celebris.

D E *uiro admodum celebri, & quem undiq; fama commendet, nõ inuenuſtè dicetur id quod de Daphnide ait Virgilius in Bucolicis in ecloga quinta,*

Hinc uſq; ad ſydera notus.

Parendum maioribus.

C V M *maioribus obſequendum eſſe ſignificabimus, locus erit illi Maroniano ex eadẽ ecloga,*

Tu maior, tibi me eſt æquum parere Menalca.

Nominis tui gloria apud poſteros ſemper uiuet.

Tuis

TVIS *laudibus nulla eſt unquam allatura finem æternitas, ad id faciet illud ex eadem ecloga,*

Dum iuga mõtis aper fluuios dum piſcis amabit,
Dumq; thymo paſcentur apes, dum rore cicadæ,
Semp̄ honos, nomenq; tuum, laudesq; manebũt.

Res præclara indigniſſimo contigit.

MARONIS *illud in Pharmaceutria,*
Mopſo Niſa datur, quid nõ ſperemus amantes? adeo prouerbialis tropi ſpeciem præſefert, ut ab ijs, qui prouerbia cõſcripſerunt, relatum fuerit in adagiorum catalogũ. uſurpandum autem erit, uel cùm honeſta turpiſſimo, & pulchra deformi nupſit, uel cùm res præclara præter omnium ſpem, atq; opinionem homini abiectiſſimo, atq; indigniſſimo contigit.

Maximè diſſidentium conciliatio.

CVM *ij, inter quos atrox inimicitia, et inſanabile diſſidium erat, conciliati fuerint, uenuſtiſſimè proferetur illud, quod ſtatim in eadem ecloga ſubſequitur,*
Iungentur iam gryphes equis, æuoq; ſequenti

Cum canibus timidi uenient ad pocula damæ;
etenim, ut ibi inquit Seruius, gryphes in Hyperboreis montibus naſcuntur, & equis admodum infeſtæ ſunt, Conſimili autem figura dixit Horatius in odis,

Sed priùs Apulis
Iungentur Capreæ Lupis.

De rebus præpoſteris.

AD *parœmiam quoq; ferè accedit illud in eadem ecloga,*
Nunc & ouēs ultro fugiat Lupus,
quod uſurpari poterit cum ἀδύνατον *ſeu præpoſterum quippiam ſignificabimus. cui non abſimile eſt illud apud Theocritum in Thyrſide, dum optat, ut canes ceruus trahat, ideſt rerum omnium natura immutetur.*

Vbi infantiſſimus eloquentiſſimum prouocat.

VBI *infantiſſimus uirum in dicendo excellentiſſimum, uel ubi indoctus eruditiſſimum in certamen prouocat, ſiue cùm leuiuſculus quiſpiam homuncio, qui parum poſſit, maximis uiris*

oblatrat

oblatrat, exclamare poterimus cum Virgilio in eadem ecloga,

Certent, & Cygnis ululæ.

Non uni omnia Dij dederunt.

ET *hodiè nihil uulgatius eſt ſententia illa prouerbiali, de qua apud Maronem in eadem ecloga,*

Non omnia poſſumus omnes.

Sumpta autem uidetur ab Homero, apud quem Polydamas Iliados decimo tertio ſic Hectorem alloquitur;

Nec uero ipſe potes ſortirier omnia ſolus,
Nam Deus hunc dextra forti præcellere bello;
Illum autem chorea dedit, hic ſupeminet omnes
Et cantũ, & fidibus; rerum prudentia maior
Pectore in alterius collucet;

Item Odiſſeæ libro octauo,

Nec uerò ſuperi tribuunt ſua munera cunctis,
Vim fãdi, ingeniũ, præclaræ aut frõtis honores;
Cuius enim facie nullum decus eminet, alto
Eloquio ſuperare alios huic contigit olim;

Porrò hanc ſententiam pluribus enarrare, & exornare poſſemus, ſi inſtituti noſtri ratio id poſtularet.

QVA mente lector in te ſit HIERONYMVS,
Libellus ipſe, quem tibi modo edidit,
Sat arguit, non dat tibi Gangetidem
Gazam, aut quod unds uoluit auricoloribus
Tagus. quid ergo? id maximè, cuius poteſt
Te lectio prud.ntiorem reddere,
Quare, ſi tibi nihil prius, ſeu antiquius,
Quàm nequid aut dicas, aut facias, qđ minus
Deceat, huc oculos conijce ad perlucidas
Gemmas, agro quas ex gemmifero Vergilij
Selegit alta mente CLOCIVS, tuis
Subiecitq; oculis. hæ renident omnium
Mentis micantes undiq; intuentium
Illuſtrant aciem, ac indicant, quid ſentias,
Quid eloquaris, quiduè agas, ut prouidus,
Prudensq; rebus uſq; ſis in omnibus.

VINCENTII VECTIOLI.

ABſtruſos ſenſus aperit dum CLOCIVS hoſce,
Gaudia Virgilij tanta fuiſſe ferunt,
Illius ut manes ignes ſenſiſſe putentur
Interea nullos, & ſtupuiſſe ſimul.

2

PVBL. VIRGILII MARONIS VERSVS PROVERBIALES ALIQVOT COLLECTI A HIERONYMO CLOCIO CASALMAIORENSI.

NON eſt dubium, quin ad parœmiam prope accedere uideantur alluſiones illæ quæ ab aliquo inſigni, ac magnopere celebri authore deſumuntur, tametſi quandoq; nulla adſit figura prouerbialis. Quod genus multa reperiet, cui uacabit legere ea quæ tum græci, tum latini authores diuinitus ſcripta reliquerunt. Sed licet in eorum literis multorum nobilium poetarum carmina adagionum inſtar uſurpentur, Homeri tamen uerſus magis frequenter uſurpatos deprehendet; ut hinc facilè coniectura aſſequi poſſimus, uerissimum eſſe quod refert Macrobius, Homero tantum honoris ab antiquitate habitum fuiſſe, ut plerąq; eius carmina prouerbiorum uice in ore om-

nium fungerentur. Nonnulli uero tantum Homero tribuendum eſſe putarunt, ut decere dixerint quicquid ex eo quocunq; modo excerptum fuerit, etiam ſi, quẽadmodum in Centonibus fieri uidemus, uerba ipſa ad longè aliam ſententiam detorta fuerint, itaq; non defuerunt, qui in eo operam poſuerint, ut ex toto Homericæ poeſis corpore uerſus multos ſelegerint, quos ipſi ĩ prouerbij uicem transferri poſſe exiſtimarunt. Ego uero, cum mihi otioſo eſſe licuiſſet, non alienum eſſe duxi, ſi illud quod ab excellẽtibus uiris ĩ Homero factitatum eſſe ſciebam, idem ego tentarẽ in Marone noſtro. Neq; .n. futurum eſſe quempiam ſum arbitratus, qui id quod ipſi in Homero licere putarunt, idem quoq; non permitteret in Virgilio, qui iam apud latinos eam celebritatem aſſecutus eſt, quam ille apud Græcos; maiorem etiam aſſecuturus, niſi ob barbararum nationum in Italiam irruptionem, ac conſuetudinem latinè loqui iam deſiiſſemus. Ad hoc enim operis aggrediendum eò etiam ardentius ſum impulſus, quòd iandudum animaduerti, ſi quando Maroniani uerſus a doctis citantur, multum Veneris eorum orationi, ac ſcriptis accedere, ſi rectè ac tempeſtiuè accommodati fuerint. Nihil enim mortale ſonat Virgilius, ſed in eius carminibus

diuina

diuina neſcio quæ, ac recondita uis ineſſe uidetur, ut nihil admirabilius ac iucundius ſimul dici excogitariùe poſſit. Cæterum quamuis potuiſſem congerere multo plures uerſus, qui ad aliquam prouerbij rationem detorqueri facilè poſsūt; Tamen ijs paucis contentus ſui, dum conatus ſum oſtendere, neque hac in re poſtponendum eſſe Virgilium Homero; Quam rem, qualiſcunque hic labor noſter fuerit, ſtudioſos æqui boniq; cōſulturos confido.

EX BVCOLICIS

De rebus imparibus, ſeu inæqualibus.

VBI quis imparia aut inæqualia cōparat, mirè conueniet Virgilianū illud in Tityro

Sic canibus catulos ſimiles, ſic matribus hœdos,
Noram, ſic paruis componere magna ſolebam,
Verū hæc tantū alias inter caput extulit urbes,
Quantum lenta ſolent inter uiburna cupreſſi,

Sanè prouerbium illud, Friuolæ ſunt aliæ ciuitates ad Crotonem, multum ſpectat ad id, quod de urbe Roma ibidem dicitur.

Ex animo meo nunquam effluet.

Nemo ambigit quin prouerbiale quiddam afferant ἀδύνατα Bucolico carmini familiaria, cuiuſmodi eſt illud Virgilij in eadem ecloga.

Antè leues ergo paſcentur in æthere cerui,
Et freta deſtituent nudos in littore piſces,
Antè pererratis amborum finibus exul
Aut ararim parthus bibet, aut germãia tygrim,
Quàm noſtro illius labatur pectore uultus.

Quibus quidem uerſibus uti licebit, cum pollicebimur fore, ut alicuius memoriam beneuolentia ſempiterna colamus, & nulla unquam ui futurum eſſe, ut ex animo noſtro excidat.

De profecturis in longinquas oras,

Cum in longinquas orbis regiones nos ituros ſignificabimus, optime congruet illud ex eadem ecloga,

At nos hinc alij ſitientes ibimus Afros,
Pars ſcythiam, et rapidũ Cretæ ueniemus Oaxẽ,
Et penitus toto diuiſos orbe Britannos,

Quæ omnia hyperbolicôs dicuntur, quo modo dixit & Iuuenalis,

Omnibus in terris quæ ſunt a Gadibus uſq;
Auroram, & Gangen,

Et Horatius in odis libro tertio.

Viſam pharetratos Gelonos,
Et ſcythicum inuio atus amnem,
Viſam Britannos hoſpitibus feros,
Idem alibi
Extremum Tanaim ſi biberes Lyce,

Vbi alij laboribus noſtris fruuntur.

Vbi eos, qui ſint indigniſſimi, & quos minimè omnium uellemus, Commoditatibus, labore, atq; opera noſtra partis frui conqueremur, pulchrè quadrabit illud ex eadem ecloga.

En queis conſeuimus agros?

Qui ſibi accerſiuit optauit quæ nocuere.

Havd dubium, eſt quin prouerbialis ſchematis faciem habeat Maronianũ illud in Alexi
Eheu quid uolui miſero mihi? floribus auſtrum
Perditus, & liquidis immiſi fontibus apros,
Vbi quis optauit ea, quæ ſibi perniciem allatura erant, uentus .n. præcipuè Auſter ob ſuam uiolentiam eſt admodũ noxius floribus, apri autem puros fontes cœnoſos, ac turbidos efficiunt.

Fuco non credendum,

Cvm ſignificabimus minimè credendum eſſe fuco, aut contemnenda eſſe, quæ habent ſpeciem gloriæ collecta inaniſſimis ſplendoris inſignibus, haud intempeſtiuè afferetur illud ex eadẽ ecloga

Nimium ne crede colori,

pulchrè etiam quadrauerit in Rhetores, qui uerborum coloribus ueritatem plerunq; offuſcant, Vnde deductum eſt illud apud Iuriſconſultos, color quæſitus, cum id, quod uerè agitur, fraudãdæ legis gratia, uel alia ex cauſa, ſimulatione aliqua obtegitur.

Trahit ſua quemq; uoluptas

Qvemque ad id trahi, quod naturæ ſuæ congruum, & expediens eſſe ſentit, ad id conueniet illud ex eadem ecloga,

Torua leæna lupũ ſequitur, lupus ipſe capellam;
Florentem Cytiſum ſequitur laſciua capella,

Nec durè fortaſſis etiam tum torquebitur, cum innuerimus a potentioribus ſemper lædi minus potentes, et (ut uulgo iactatur) piſces grandes deuorare minutiores, Nam leæna potentior eſt lupo, lupus capella, Capella cytiſo.

Inchoata deſeruiſti.

In eum, qui opus inchoâtum reliquerit, haud infeſtiuè detorſeris illud ex eadem ecloga, Semiputata tibi frondoſa uitis in ulmo eſt.

Vbi princeps eſt uoluptati deditus.

Sicvti in republica multum habet momenti principis integritas, ita non bene cum ea agitur, cùm ille fœdiſſimis uoluptatum illecebris irretitus tenetur; principum enim cupiditatibus ac uitijs maximè infici ſolent ciuitates, eorundẽ autem continentia emendantur ac corriguntur. Itaq; cùm princeps uoluptate captus eſt, multa incommoda ſubſequuntur, Tum quia ea non ſtudet facere, quæ ad reformandum ciuium animos pertinent, tum quia illius exemplo alij deteriores redduntur, & , ut inquit Cicero, non tantum mali eſt peccare principes, quantum illud, quòd permulti etiam imitatores principis exiſtunt, unde dicebat Plato, Quales in Republica principes, tales reliquos ſolere eſſe ciues. Quoties igitur indicare libebit, quantum mali corrupta principis uita ſubditis afferat, feſtiuè accommodabitur uirgilianum illud in Palæmone,

Infœlix, o, ſemper, oues, pecus, ipſe Neæram
Dum fouet,

Et illud in eadem ecloga.

Idem amor exitium pecori, pecoriſq; magiſtro,
Sic Eumæus ſubulcus apud Homerũ inquit, malum paſtorem corrumpere oues.

Auſculta, & perpende.

Qvi ſignificabit, ſe aliquid dicturum, quod maximi ſit momenti, & ad rem maximè pertineat, belliſſimè uſurpauerit illud ex eadẽ ecloga,
Senſibus hæc imis (res eſt non parua) reponas.

De rebus palam abſurdis.

Cvm ineptè, uel indecorè, aut etiam præpoſterè aliquid fieri contingit, lepidiſſimè dicetur uulpes iungere, ut uirgilius in eadem ecloga.
Qui Bauium non odit amet tua carmina Mæui,
Atq; idem iungat uulpes, & mulgeat hircos.
Sanè & mulgere hircum, eundem quidem habet ſenſum, ſed id prius à Demonacte Cynico emanaſſe uidetur, nam (ut refert Lucianus) cum is interrogaretur quid ſentiret de conflictu duorum, quorum alter inepte proponebat, alter abſurdè reſpondebat, ait ſibi uideri, alterum quidẽ mulgere hircum, alterum uero ſupponere cribrum

brũ, quo dicto utriuſq; ſtultitiam facetè notauit.

Latet ſub melle uenenum.

Latet anguis in herba,

Hemiſtichium eſt Virgilij in eadem ecloga, quod non ſine prouerbiali figura torqueri licebit, uel in ſcorta formoſa, uel in aſſentatores, qui coram blandi ſunt, occultè autem nocent, aut in inſidioſas uoluptatum illecebras, item in principum aulas, quæ habent neſcio quid blandum quod ad perniciem inuitet, & demum in omnes res quæ quidem ſpecie ipſa iucundæ ſunt, ſed quæ deniq; exitium afferant.

Periculum fugiendum.

Cum admonebimus ibi cautius agendum, ubi plerunq; maius periculum eſſe ſoleat, lepidè accommodabimus illud ex eadem ecloga,

Non bene ripæ
Creditur;

Feſtiuè autem torquebimus cum admonere uoluerimus quempiam, ne rem ſuam alicui credat, uel eius conſilio nimium fidat, qui proprias fortunas non rectè geſſerit; Ne uè in principum, ſeu

potentiorum fauore ſpem ponat, cum tale genus hominum imbecilliores ſæpe fallat.

Vterq; præclarè ſe geſſit.

CVM duo in literaria contentione, ſeu quauis alia in re æquè egregiè, ac laudabiliter ſe geſſerunt, non inconcinnè proferetur illud ex eadem ecloga,
Et uitula tu dignus, & hic.

Vir inſignis ac celebris.

DE uiro admodum celebri, & quem undiq; fama commendet, nõ inuenuſtè dicetur id quod de Daphnide ait Virgilius in Bucolicis in ecloga quinta,
Hinc uſq; ad ſydera notus.

Parendum maioribus.

CVM maioribus obſequendum eſſe ſignificabimus, locus erit illi Maroniano ex eadẽ ecloga,
Tu maior, tibi me eſt æquum parere Menalca.

Nominis tui gloria apud poſteros ſemper uiuet.

TVIS laudibus nulla eſt unquam allatura finem æternitas, ad id faciet illud ex eadem ecloga,

Dum iuga mõtis aper fluuios dum piſcis amabit,
Dumq; thymo paſcentur apes, dum rore cicadæ,
Semp̃ honos, nomenq; tuum, laudesq; manebũt.

Res præclara indigniſſimo contigit.

MARONIS illud in Pharmaceutria, *Mopſo Niſa datur, quid nõ ſperemus amantes?* adeo prouerbialis tropi ſpeciem præſefert, ut ab ijs, qui prouerbia cõſcripſerunt, relatum fuerit in adagiorum catalogũ. uſurpandum autem erit, uel cùm honeſta turpiſſimo, & pulchra deformi nupſit, uel cùm res præclara præter omnium ſpem, atq; opinionem homini abiectiſſimo, atq; indigniſſimo contigit.

Maximè diſſidentium conciliatio.

CVM ij, inter quos atrox inimicitia, et inſanabile diſſidium erat, conciliati fuerint, uenuſtiſſimè proferetur illud, quod ſtatim in eadem ecloga ſubſequitur,

Iungentur iam gryphes equis, æuoq; ſequenti

Cum canibus timidi uenient ad pocula damæ; etenim, ut ibi inquit Seruius, gryphes in Hyperboreis montibus naſcuntur, & equis admodum infeſtæ ſunt, Conſimili autem figura dixit Horatius in odis,

Sed prius Apulis
Iungentur Capreæ Lupis.

De rebus præpoſteris.

AD parœmiam quoq; ferè accedit illud in eadem ecloga,

Nunc & oues ultro fugiat Lupus,

quod uſurpari poterit cum ἀδύνατον ſeu præpoſterum quippiam ſignificabimus. cui non abſimile eſt illud apud Theocritum in Thyrſide, dum optat, ut canes ceruus trahat, ideſt rerum omnium natura immutetur.

Vbi infantiſſimus eloquentiſſimum prouocat.

VBI infantiſſimus uirum in dicendo excellentiſſimum, uel ubi indoctus eruditiſſimum in certamen prouocat, ſiue cùm leuiuſculus quiſpiam homuncio, qui parum poſſit, maximis uiris

oblatrat

oblatrat, exclamare poterimus cum Virgilio in eadem ecloga,

Certent, & Cygnis ululæ.

Non uni omnia Dij dederunt.

Et hodiè nihil uulgatius eſt ſententia illa prouerbiali, de qua apud Maronem in eadem ecloga,

Non omnia poſſumus omnes.

Sumpta autem uidetur ab Homero, apud quem Polydamas Iliados decimo tertio ſic Hectorem alloquitur;

Nec uero ipſe potes ſortirier omnia ſolus,
Nam Deus hunc dextra forti præcellere bello,
Illum autem chorea dedit, hic ſupeminet omnes
Et cantũ, & fidibus; rerum prudentia maior
Pectore in alterius collucet;

Item Odiſſeæ libro octauo,

Nec uerò ſuperi tribuunt ſua munera cunctis,
Vim fãdi, ingeniũ, præclaræ aut frõtis honores;
Cuius enim facie nullum decus eminet, alto
Eloquio ſuperare alios huic contigit olim;

Porrò hanc ſententiam pluribus enarrare, & exornare poſſemus, ſi inſtituti noſtri ratio id poſtularet.

Aliquem

Aliquem deprimentis.

V B I innueris aliquem parum poſſe, ac ualere inter quoſpiam eruditos, atq; inſignes uiros, adaptari commodè poteris Virgilianum illud in Mœri,

Quantum
Chaonias, dicunt, aquila ueniente columbas.

Extenuantis uires ſuas.

Q V I ſe ipſum deprimet, & ingenuè profitebitur, ſe non eſſe conferendum, cum egregijs, & præcellentibus uiris, haud inſcitè uſurpabit illud ex eadem ecloga,

Me quoq; dicunt
Vatem paſtores, ſed non ego credulus illis.

Quod ſi quis orator, uel alio, quàm poetæ, nomine appelletur, eo quoq; carmine rectè uti licebit.

Infantiſſimus inter eloquentiſſimos.

C V M indoctus inter eruditiſſimos garrit, uel fatuus inter ſapientiſſimos obloquitur, accommodabitur Virgilianum illud ex eadem ecloga,

Sed argutos inter ſtrepere anſer olores.

conueniet

conueniet & in eum, qui falſæ doctrinæ oſtẽtatione ſe iactitet, & uiris inſignibus impudenter obſtrepat.

Aliquid age, quod uſui ſit poſteris.

CVM admonebimus aliquid ſemper agendum, quod poſteritati quoq; uſui futurum ſit, non inconcinnè detorſerimus illud ex eadem ecloga,
Inſere Daphni pyros, carpẽt tua poma nepotes;
uel congruet in eos, qui diu labore, ac parſimonia cumularint diuitias, quas ſubitus caſus abſtulerit, & tunc ironicè, uel cum commiſeratione proferendum erit.

Silentium fit.

VBI innuerimus omnes iam ſilere, & paratos eſſe audire cuiuſpiam orationem, haud inſulſè torquebitur illud ex eadem ecloga,
Et nũc omne tibi ſtratum ſilet æquor, et omnes;
(Aſpice) uentoſi ceciderunt murmuris auræ.
Planè & illud,
Ventoſi ceciderunt murmuris auræ.
feſtiuè etiam torſerimus in mulierem, cuius furor, ac ira quieuerit, uel in Thraſonem aliquem

poſtquam fremere, ac magna minari deſierit.

Opem alteri pollicentis.

HEMISTICHIO *illo, quod in eadem ecloga legitur,*

Ego hoc te faſce leuabo.

nuſquam commodius uti poteris, quàm ubi amicus apud te de aliquo ſe premente incommodo conquereretur, & cum hominis ſit homini laboranti opem ferre, tu ei auxilium pollicebęris, & iubebis, ne animo cadat.

Amor non curat lachrymas.

QVI *dicet amorem eſſe immitem, nec moueri lachrymis, uti poterit illo Maroniano in ecloga ultima, ſeu in Gallo,*

Amor non talia curat,
Nec lachrymis crudelis amor; nec gramina riuis
Nec Cytiſo ſaturantur apes.

EX

Priuſquam rem ipſam diſcutiamus.

ANTEQVAM *aggrediamur ad materiam hucuſque incognitam, & nondum ſatis explicatam, in hanc ſententiam faciet illud Homeri Mantuani in primo Georgicorum libro.*

Ac prius ignotum ferro, q̃ ſcindimus æquor;

In parum prouidos.

IN *eos, qui mala imminentia, & ſe prodentia multis ſignis, cauere neſciuerunt, quadrabit illud ex eodem libro,*

Nunquam imprudentibus imber
Offuit;

Quod ſi exponatur imprudentibus .i. ualde prudentibus, rectè conueniet in uirum ſapientem, qui procul præuiſam calamitatem uitat; ut Democritus, qui cùm metentem fratrem ardentiſſimo æſtu monuiſſet, ut reliquæ ſegeti parceret, & deſecta colligeret, mox denſiſsimus imber eius uaticinationem approbauit.

Qui bene monentibus non parent.

DE ijs, *qui recta conſilia dantes, & à malis retrahentes, non audiunt, ſibi tamen conſulere nequeunt, non ſine prouerbiali ſchemate dicetur illud ex eodem libro.*

Fruſtra retinacula tendens
Fertur equis auriga, neq; audit currus habenas.

Mores præſentis ſæculi deteſtantis.

QVI *ſignificare uoluerit, mortales hodiè nihil penſi habere, nihilq́ue non audere, tempeſtiuè proferet illud ex eodem libro,*

Fas uerſum atq; nefas.

Non poſſum omnia oratione complecti.

VBI *quiſpiam de re aliqua uerba facturus, innuere uoluerit, ſe multa ex induſtria prætermiſſurum, nec omnia uerbis conſequi poſſe, propter rei magnitudinem, & maximam rerum copiam, perquam uenuſtè quadrabit illud eminentiſſimi poetæ in ſecundo Georgicorum libro,*

Non ego cuncta meis amplecti uerſibus opto,

Non mihi ſi linguæ centum ſint, oráq; centum,
Ferrea uox,

Locus autem eſt ex Homero, Iliados ſecundo, quem in Aeneide quoq; tranſtulit.

Inſinuatione non utar.

Rem breuiter, & ſimpliciter explanabo, neque utar ambagibus, aut longis uerborum anfractibus, ad hanc ſententiam concinnè adaptabitur illud ex eodem libro,
In manibus terræ, non hic te carmine ficto,
Atq; per ambages, & ſumma exorſa tenebo;

Res infiniti laboris.

E V M, *qui rem infiniti laboris, atq, inextricabilem incœptet, arenam metiri, uel undas numerare, prouerbialiter dicimus; utrunq; autem elegantiſſimè expreſsit Virgilius in eodem libro,*
Quam qui ſcire uelit libyci uelit æquoris idem
Diſcere, quàm multæ Zephiro turbētur arenæ,
Aut ubi nauigijs uiolentior incidit Eurus,
Noſſe quot Ionij ueniant ad littora fluctus.

NEC uero terræ ferre omnes omnia poſſũt, Carmen eſt nobiliſsimi poetæ in eodem libro; quod quidem prouerbium ſapiet, ſi traducatur ad diuerſas ingenij dotes; ueluti ſi dicatur, non omnes aſſequi poſſe omnes diſciplinas, propterea quòd alij ad alias artes natura magis apti, atq; compoſiti ſunt; & ſicuti agri non omnes frugiferi ſunt, qui coluntur, ſic animi non omnes culti fructum ferant. Et quemadmodum non omnem frugem, atq; arborem feliciter in omni agro euenire uidemus; ſic non omnium ingenia apta ſunt ad capeſſendas omnes diſciplinas; alij enim iuri ciuili, alij eloquentiæ, alij Philoſophiæ, atq; aliarum rerum ſtudio felicius ſe tradunt; Quapropter Craſſus apud Marcum Tullium in tertio de Orat. dicit, eis qui aliquos inſtituunt, atq; erudiunt, eſſe diligenter inſpiciendum; quo ſua quenq; natura maximè ferre uideatur.

Hanc autem ſententiam ſtatim ueluti enarrat Virgilius, cum ſubijcit;

Fluminibus ſalices, Craſsisq; paludibus alni
Naſcuntur; ſteriles ſaxoſis montibus orni;
Littora Mirtetis lætiſsima; Deniq; apertos

Bacchus

Bacchus amat colles, Aquilonē, et frigora taxi.

Idem Georgicorum primo;

Hic ſegetes, illic ueniunt felicius uuæ,
Arborei fœtus alibi, atq; iniuſſa uireſcunt
Gramina;

Spartam nactus es, hanc orna.

CVM adhortabimur principem, ut hoc ipſum, quod habet imperij rectè adminiſtret, nec maxima regna ambire uelit, egregiè detorquebimus illud ex eodem libro,

Laudato ingentia rura,
Exiguum colito.

Conueniet etiam, ubi quempiam admonebimus, ut prouinciam ſuis aptam uiribus ſuſcipiat; uel cùm iubebimus, ut unuſquiſq; ſortem ſuam, quæcunq; obtigit, boni conſulat; ſicut enim prudens gubernator, in omni tempeſtate bonum nauclerum præſtat, ita uir ſapiens in omni fortuna præclarè ſemper ſe gerit.

Is demum beatus eſt, qui ſe beatum eſſe ſciat.

NON minima felicitatis pars eſt, ut quiſque ſua

que ſua norit bona; nec ſatis eſt ut quis ſit felix, niſi felicitatem quoq; ſuam intellexerit; proinde cùm alicui bona quædam contigerint, quæ ſi ipſe noſſet, feliciſsimus eſſet, uſurpare licebit illud ex eodem libro,

O fortunatos nimium, ſua ſi bona norint,
Agricolas;

Satis multa diximus.

Cvm latè orationem noſtram peruagatam eſſe dixerimus, & iam parcendum eſſe fatigato ingenio, aut finem imponendum eſſe rebus pertractatis, ad id pulcherrimè competet illud ex eodem libro,

Sed nos immenſum ſpatijs confecimus æquor;
Et iam tempus equum ſumantia ſoluere colla;

Hoc enim totum alegòricôs, & metaphoricôs dictum eſt a Virgilio, ad quod etiam ſpectat illud ex Bucolicis,

Claudite iam riuos pueri, ſat prata biberunt;

Audendum aliquid, ſi uis eſſe aliquid.

Cvm nos met ipſos accenderimus, ad aliquid eximium tentandum, ex quo maximam gloriam

gloriam nobis parare poſſimus; elegantiſſimè quadrabit illud quod habetur apud Illuſtriſſimum poetam in tertio Georgicorum libro,

Tentanda uia eſt, qua me quoq; poſſim
Tollere humo;

Sine te nihil egregij conor.

SINE te nihil eximij tento, nihilq; præclari mollior, huic ſententiæ congruet illud ex eodem libro,

Te ſine nil altum mens inchoat.

Licebit autem uti, cùm à principe, uel à quopiam excellenti uiro, nobis uires, atq; animum ad ſcribendum, uel ad ardua, & pulcherrima quæque aggrediendum, ſuppeditari ſignificabimus. Ad quod facit, quod inquit Prop. eleg. ſecūdo.

Non mihi Calliope, nō hæc mihi cantat Apollo;
Ingenium nobis ipſa puella facit.

Et Ouidius,

Mouerat ingenium totum cantata per orbem,
Nomine non uero dicta puella mihi.

Egregia elucet indoles.

CVM ſignificabimus eos, qui à generoſis parentibus

parentibus naſcuntur, ut plurimum præ ſe ferre magnam indolem, & quoddam quaſi ſpecimen egregiæ uirtutis, non illepidè intorſerimus illud ex eodem libro,

Continuò pecoris generoſi pullus in aruis
Altius ingreditur; & mollia crura reponit,
Primus & ire uiam & fluuios tentare minaces
Audet, & ignoto ſe ſe committere ponto,
Nec uanos horret ſtrepitus.

Hodie nullus, cras maximus.

De *ijs, qui repentè ex humili ſtatu ad proſperiorem fortunam tranſuolarint, aut quibus præter ſpem ingens aliquis honos acceſſerit, haud durè fortaſsis dicetur illud ex eodem libro,*

Iamq; humiles, iamq; elati ſublime uidentur
Aera per uacuum ferri, atq; aſſurgere in auras.

In terribilem ac minacem.

In *hominem trucem, atq; aſperum, haud ineleganter torſeris illud ex eodem libro,*

Aſper, acerba ſonans;

Mutuo ſe ſe conuiciantes.

In eos, qui acribus conuicijs mutuo ſe ſe onerant, optimè congruet illud ex eodem libro.

Illi alternantes multa ui prælia miſcent
Vulneribus crebris.

Recte etiam trahetur ad eos qui acerrimè inter ſe diſputant, ac contendunt.

Opus intentatum aggredi,

Rem nouam, atque intentatum adhuc opus aggredior; hanc ſententiam ſi modo poetico exprimere aliquando libuerit, uſui erit illud ex eodem libro,

Iuuat ire iugis, quà nulla priorum
Caſtaliam molli diuertitur orbita cliuo;

Quod à Lucretio translatum eſſe ibi Seruius admonet.

Adeo à teneris aſſueſcere multum eſt.

Qui innuet pueros à teneris rectè inſtituendos eſſe, ac eorum animum optimis præceptis inſtruendum, atq; informandum, non inſcitè uſurpabit illud ex eodem libro,

Iam uitulos hortare, uiamq; inſiſte domandi,
Dum faciles animi iuuenum, dum mobilis ætas.

Negligentia inualeſcit morbus.

N E G L I G E N T I A *plerunq; augetur, ac uehementior fit ægritudo, ad id nobis ſeruiet illud ex eodem libro,*

Alitur uitium, uiuitq; tegendo;
Dũ medicus adhibere manus ad uulnera paſtor
Abnegat, et meliora Deos ſedet omnia poſcẽs.
Sic Ouidius,
Principijs obſta, ſerò medicina paratur;
Cum mala per longas conualuere moras.
Venuſtius autem ad animi morbum trahetur.

Cauendum ne morbida pecus totum ouile corrumpat.

C V M *innuerimus homines improbos perdendos eſſe, ne ipſi ciuitatem perdant, ac corrumpant, Vſurpabimus illud ex eodem libro,*
Continuo culpam ferro compeſce, priuſquam
Dira per incautum ſerpant contagia uulgus.

Curis uacuus.

I N *eum, cuius animus à curis, & moleſtijs liber ſit, nõ infeſtiuè conieceris illud ex eod. lib.*

Nec

Nec ſomnos abrumpit cura ſalubres.

Miſera hominum conditio.

Q V I ostendere uoluerit, huic miſeræ mortalium conditioni nequaquam fidendum eſſe, cũ omnia fluere ac in continuo motu eſſe uideamus, nihilq́; firmum ſit, percommodè afferet illud ex eodem libro,
Optima quæq́; dies miſeris mortalibus æui
Prima fugit.

De eo, qui inchoata reliquerit.

I N eum, qui ab incepto opere deſtiterit, non intempeſtiuè quis torſerit illud ex eodem libro.
Atq; opere in medio defixa reliquit aratra.

In rebus paruis, bene uerſari magna laus eſt.

C V M indicabimus non paruam eſſe gloriam in rebus exiguis egregiè uerſari, multùm oppoſite afferemus illud, quod eſt apud excellen

tiſſimum poetam in quarto Georgicorum libro,
In tenui labor, at tenuis non gloria, ſi quem
Numina læua ſinunt, auditq; uocatus Apollo.
Cuius rei ratio expreſſa fuiſſe uidetur in primo Georgicorum in illis uerſibus,
Nec sũ animi dubius, uerbis ea uincere magnũ.
Quàm ſit, et anguſtis hunc addere rebus honorẽ.

In exiguo corpore maior regnat uirtus.

ILLVD, *quod de apibus dicitur in eodem libro,*
Ingentes animos anguſto in pectore uerſant;
Perbellè quadrabit uel in Pomiliones, qui inſigni ſuperbia, atq; arrogantia præditi ſint; uel in eos, qui cùm corporis exigui ſint, eximiæ tamen ſint uirtutis; ſicuti Ageſilaus fuiſſe legitur. Vnde cùm olim eſſet in Aegyptum profectus, Tacho regi laturus ſuppetias, ob corporis paruitatem à rege cõtemptus eſt ijs uerbis; Parturijt mons, Iuppiter metuit, at ille murem peperit. Id ut audiuit Ageſilaus, at ego inquit, aliquando tibi uidebor leo; Nam poſt cùm illi non adeſſet Ageſilaus, regno pulſus confugit ad Perſas. A Philoſophis aũt traditũ eſt in paruis plerũq; plus animi ineſſe, ꝗ in grãdioribus.

Non

Non cedentes niſi uicti, uel uictores.

IN eos, *qui nunquam cedunt, niſi tandem conuicti fuerint, uel ipſi alios conuicerint; uel in eos, qui litem inceptam non deſerere ſtatuerunt, dum aut uincant, aut uincantur; haud parum eleganter conueniet illud ex eodem lib.*

Vſqueadeo obnixi nõ cedere, dũ grauis, aut hos,
Aut hos, uerſa fuga uictor dare terga coegit.

Puerorum contentiones.

CVM *inter pueros, qui pro leuibus noxis, (ut inquit Comicus) iras gerunt; rixari ac tumultuari contigerit, & ſignificabimus fore, ut eorum prælia, ac controuerſiæ, modico negocio ſedentur, ac dirimantur, feſtiuiſſimè uſurpabimus illud ex eodem libro,*

Hi motus animorum, atq; hæc certamina tanta,
Pulueris exigui iactu compreſſa quieſcent.

In nebulones ac inutiles.

HOMINES *ignauiſſimos, ac natos conſumere fruges, non inconcinnè appellauerimus, ignauum pecus, quemadmodum de apibus inutilibus*

utilibus dixit Maro in eodem libro,
Ignauum, fucos, pecus à præſepibus arcent;
quod carmen repetitur in primo Aeneidos.

Iam ad exitum feſtinat oratio.

QVI *dicet ſe properare, ut materiæ, quam tractare inceperit, extremam manum addat; accommodare licebit illud ex eodem libro,*
Atq; equidem extremo ni iam ſub fine laborum
Vela traham, et terris feſtinē aduertere prorā;
Videtur autem ſumpta tranſlatio à nautis, qui cùm ſatis nauigatum ſit, Vela contrahunt, & proram terris appellunt.

A fronte ſimul & occipitio.

CVM *iudicare uoluerimus aliquem, qui rerum omnium cognitionem habeat, & qui ſit præditus ſingulari prudentia, quæ conſiſtit non in eo ſolum, quod quis præſentia ſcit, ſed etiam quia præterita recordatur, ac futura præuidet, ac perpendit, ſcitè uſurpauerimus illud, quod de Proteo dicitur eodem in libro.*
Nouit nanq; omnia uates
Quæ ſint, quæ fuerint, quæ mox uētura trahātur

De

De eo, quem iam conuicerimus, probè dixerimus, nos eum correptum manibus uinclisq; tenere; mutuoq; uidebitur ſumptum à Virgilio in eodem libro, ubi de eodem Proteo dicitur, Verum ubi correptũ manibus, uinclisq; tenebis; Pulchrè etiam detorquebitur ad eum, cui efferueſcentes animi impetus, rationis moderamine coercere licuerit; uel ad eum, qui oblatam occaſionem premat.

EX AENEIDE.

Omnibus fortunæ procellis iactatus.

De eo, qui hinc, inde, ab aduerſa fortuna uexatus ſit, & qui multa mala diuerſasq; calamitates perpeſsus fuerit; non inſcitè quis dixerit, id quod de Aenea inquit Latinus Homerus in primo Aeneidos libro,

Multùm ille & terris, iactatus & alto.

Simile habetur eodem in libro,

Terræq;, marisq;.

Omnibus exhauſtos iam caſibus, omniũ egenos.

Et in decimo Aeneidos,

Iam

Iam quæ paſſus terraq; , mariq;.

Tuum eſt imperare, parere autem meum eſt.

CVM *operam, ſtudium, ac laborem noſtrum alteri pollicebimur, uſui fuerit, id quod Iunoni dicit Aeolus Rex uentorum in eodem libro,*

Tuus (o regina) quid optes,
Explorare labor; mihi iuſſa capeſſere fas eſt;

Per te ſum Principi acceptus,

V B I *quis ſignificabit ſe cuiuſpiam ope, ac fauore charum, atq; acceptum eſſe principibus, haud parum uenuſtè utetur illo ex eodem libro,*

Tu ſceptra, Iouemq;,
Concilias, tu das epulis accumbere Diuum,

Ad ardua, præclaraq; pauci cõfugiũt.

Apparent rari nantes in gurgite uaſto, *Carmen eſt in eodem libro, quod a noſtratibus, doctoribus, & præſertim à Iaſone Mayno, prouerbij nomine citari ſolet in materia difficili, latiſſimaq;, ad quam tamen explicandam*

pauciſſimi

paucißimi acceßerint interpretes. Poterit etiam ad alia multa trahi; ut ſi uelimus innuere, paucos eſſe, qui ad ueram gloriam contendant; & qui relicto uitio uirtutem ſequantur; Vel de gubernantibus Rempublicam dicamus, raros curare quid ei utile ſit, ſed ferè omnes ſtudere rebus ſuis, aut paucos eam fideliter adminiſtrare, & ſimilia.

Maxima attentio.

De iјs, qui auidè, ac ſitienter audiunt, quæ dicuntur, aut expectant quid dicendum ſit, non intempeſtiuè proferetur illud ex eodem lib.

Silent, arrectisq́; auribus aſtant.

Vndiq; difficultates.

Qui maximis difficultatibus, ac periculis, hinc inde ſe premi dicet, uſurpare poterit illud ex eodem libro,

Hinc atq; hinc uaſtæ rupes, geminiq́; minãtur
In cælum ſcopuli.

Veteris iniuriæ non facilè obliuiſcens.

De eo, qui ueteris iniuriæ, offenſæ ue, nequeat obliuiſci, & cuius animo nondum exciderint antiqui dolores; non ineleganter proferetur illud quod de Iunone dicitur in eodem libro,

Aeternum ſeruans ſub pectore uulnus.

Vbi ualdè ſæuit fortuna.

Vbi quis aduerſæ fortunæ impetu ualdè affligitur, mirè quadrabit illud ex eodem libro,

Stridens Aquilone procella,
Velum aduerſa ferit;

Aquilonis enim meminit Virgilius, quia impetuoſus eſt uentus;

Sic Horatius in odis libro tertio,

Exegi monumentum ære perennius,
Regaliq; ſitu Pyramidum altius,
Quod non imber edax, non Aquilo impotens
Poſſit diruere.

Ad hanc etiam ſententiam fortè ſpectabit illud ex eodem libro,

Vna Eurusq;, Notusq; ruunt, creberq; procellis,
Africus, & uaſtos uoluunt ad littora fluctus.

Item illud in Aeneidos quinto,

Ruit æthere toto

Turbidus imber aqua, dēſisq; nigerrimus auſtris.

Neq; enim ignari ſumus.

CVM aliquos ad præſentia incommoda fortiter ferenda adhortabimur, & eos animabimus, tum præteritorum malorum, quæ feliciter ſuperauerint, recordatione; Tum quia aliquando futurum ſit, ut anteactorum periculorum memoria maximam iucunditatem afferat; non infeſtiuè accommodabimus illud quod ſocijs ait Aeneas in eodem libro,

O paſſi grauiora, dabit Deus his quoq; finem,
Durate, & uos met rebus ſeruate ſecundis.

Et illud,

Forſan, & hæc olim meminiſſe iuuabit.

Similiter Horatius odarum lib. primo,

O fortes, peioraq; paſſi,
Mecum ſæpe uiri, nunc uino pellite curas;
Cras ingens iterabimus æquor;

Nec ab re fuerit hic adducere, quod ait Seneca in Tragedijs,

Quod fuit durum pati, meminiſſe dulce eſt.

Item illud à Græco translatum,

Memoria dulcis iam peracti olim mali.

Et illud quod ipſe Aeneas alibi dicit,

Iuuat euaſiſſe tot urbes
Argolicas, medioſq; uiam tenuiſſe per hoſtes.

In eos, qui dura experti fuerint.

IN *eos, quos in hac uita, qua nullum mare eſt difficilius; multa dura, atq; aſpera expertos fuiſſe, ac ſapienter ſuperaſſe ſignificabimus, ſcitè torſerimus illud ex eodem libro,*
Vos & Scyllæam rabiem, penituſq; ſonantes
Aceſtis ſcopulos, uos & Cyclopea ſaxa
Experti;

Bonam fortunam quærimus.

BONAM *fortunam quærimus, pro hac ſententia uenuſtè uſurpabimus illud ex eodem lib.*
Tendimus in Latium;
Cùm autem longè nos ab ea abeſſe innuerimus, quadrabit illud ex eodem libro,
Atq; Italis longè disiungimur oris;
Si uero ſignificabimus, nos eam tandem inueniſſe, uſui fuerit illud in Aeneidos ſexto,
Iam tandem Italiæ fugientis prendimus oras.

Aliud uultu præ ſe fert, aliud in corde gerit.

In eum, qui uultu, frontéq; hilaritatem, ac beneuolentiam præ ſe ferat, cùm in animo longè aliud gerat, conueniet illud ex eod. lib.

Spem uultu ſimulat, premit altum corde dolorē.

Item illud in quarto Aeneidos,

Conſilium uultu tegit, ac ſpem fronte ſerenat.

Conſilium omne tibi detegam.

Vbi quis principis, uel alterius cuiuſpiam conſilium, & id quod alta mente repoſtum manet, aperire, ac rem omnem ordine pandere ſe uelle dicet, eleganter uſurpabit illud ex eodem libro,

Longius & uoluens fatorum arcana mouebo;

Conueniet etiam ubi quis occultam coniurationem ſe patefacturum pollicebitur.

Rem longam breuiter narraturum pollicentis.

Vbi quis, rem quæ longiori narratione indigeat, breuiter, ac ſummatim ſe pertractaturū pollicebitur, quadrabit illud ex eodem libro,

Longa eſt iniuria, longæ
Ambages, ſed ſumma ſequar faſtigia rerum.

Fama

Fama celebris.

Cvm alicuius famæ celebritatem exprimere uoluerimus, tempeſtiuè uſurpabimus illud Virgilianum ex eodem libro,

Famam qui terminat aſtris.

Item illud, quod de ſe ipſo inquit Aeneas in eodem libro,

Fama ſuper æthera notus.

Et illud quod alibi citauimus in Bucolicis,
Daphnis ego in ſiluis, hinc uſq; ad ſydera notus.
Conſimili figura eſt uſus Cicero in Philippicis; Præſertim cum illi eam gloriã conſequuti ſint, quæ uix cœlo capi poſſe uideatur.

Fatis adactus.

Ii, qui non ſponte, ſed caſu, ac ueluti fatis impellentibus, in aliquod uitæ genus, ac diſcrimen inciderunt, uti commodè poterunt illo ex eodem libro,

Vento huc, & uaſtis fluctibus acti.

Dies citius, quàm oratio, me deficeret.

Si omnia recenſere, atq; enumerare uoluero,

ſuero, dies potius, quàm oratio, me deficiet,
Cum hac ſententia, ſi quando more poetico loqui libuerit, appoſitè congruet illud ex eodem libro,

Ante diem clauſo componet ueſper Olympo;

Impar congreſſus.

CVM contingit adoleſcentulo rem gerere cum uiro erudiriſſimo, ac diſputatore ſtrenuo; ſeu homini imbecillo cum fortiſſimo, ac potentiſſimo, accommodum erit illud ex eodem lib.
Infelix puer, atq; impar congreſſus Achilli.

Dux minimè idoneus.

VBI negotio alicui egregio, & in quo uirum ſe præſtare oporteat, effœminatum aliquem, atq; ignauum, præponi continget, exclamare percommodè poterimus cum Virgilio in eodem libro,

Tanti dux fœmina facti.

In penitus ignotos.

IN eos, quos mirum in modum tibi uideri uis ignotos,

ignotos, per iocum torquere poteris illud ex eodem libro,

Sed uos qui tandem? quibus aut uenistis ab oris?
Quouè tenetis iter?

Victi parum poſſunt.

Cvm *uictos, aut eos quos aduerſa fortuna domuerit, atq; afflixerit, parum poſſe innuerimus, ſiue cum iſtorum ſuperbiam, atq; arrogantiam contempſerimus, tempeſtiuum erit illud ex eodem libro,*

Non ea uis animo, non tanta ſupbia uictis.

At Deus ulciſcetur.

Cvm *ſignificabimus nobis in præſentia deeſſe facultatem propulſandi iniuriam, at ſperare Deum Opt. Max. ultorem, non alienum erit illud ex eodem libro,*

Si genus humanum, & mortalia temnitis arma,
At ſperate Deos memores fandi, atq; neſandi.

Non adeo ſumus inhumani.

Non *adeo duri, atq; immites ſumus, huic ſententiæ*

ſententiæ congruet illud ex eodem libro ,

Non obtuſa adeo geſtamus pectora pœni ,

Nec tam auerſus equos Tyria ſol iũgit ab urbe ;

Sine diſcrimine aliquo omnes tractabo .

V B I *quis inter duos , pluresuè , nullum omnino diſcrimen ſe facturum eſſe pollicetur , ſed utroſq; , uel omnes (licet fortaſſe ſint diuerſæ inter ſe conditionis) pari ſtudio , pariq; beneuolentia complexurum , non incongruè adducetur illud quod apud Maronem ait Dido in eodem libro ,*

Tros, Rutulusq; mihi nullo diſcrimine agetur ,

Qui uerſus ſic uariatur Aeneidos duodecimo ,

Tros, Rutulusuè fuat nullo diſcrimine habebo .

Iiſdem fatis compulſus .

E O D E M *caſu , eademuè fortuna , aut iiſdem fatis adactus , in hanc ſententiam quadrabit illud ex eodem libro ,*

Noto compulſus eodem ;

Solus miſertus .

Cvm tandem nacti erimus, qui noſtris miſerijs, ac calamitatibus motus, auxilium, & opem nobis tulerit, non intempeſtiuum fuerit illud ex eodem libro,

O ſola infandos Troiæ miſerata labores.

Beneſactorum tuorum memoria erit immortalis.

Nominis tui gloria, tuorumq; rectè factorum memoria, apud omnem poſteritatem ſemper uiuet; in hunc ſenſum minimè inconueniens erit illud ex eodem libro,

In freta dum fluuij current, dũ montibus umbræ
Luſtrabunt, conuexa potus dum ſydera paſcet,
Sẽper honos, nomenq; tuum, laudesq; manebũt.

Virtus etiam in hoſte laudanda.

Magnanimi, ac præſtantis uiri eſt, etiam hoſtem ſuis non defraudare laudibus, propterea, quòd qui ſuæ uirtuti confidit, alienæ non inuidet. Et ideo ſi inciderimus in quempiam, qui inimicorum uirtutem laudibus efferre ſolitus ſit, tempeſtiuè afferetur illud ex eodem libro,

Ipſe hoſtis Teucros inſigni laude ferebat.
Poterit etiam inſeruire, ſi quando ſignificabimus, Tantam eſſe uirtutis uim, ut eam etiam in hoſtibus diligamus; Quemadmodum Romani à Pyrrho propter probitatem eius nominis alienos animos non habebant.

Miſerias expertus, miſeris facile fauet.

HOC natura affert, ut eorum maximè miſereamur, quos uidemus affligi ijs malis, quæ nos aliâs perpeſſi ſumus; & ideo Dido inquit apud Maronem in eodem libro,
Non ignara mali, miſeris ſuccurrere diſco.

Parentis ſollicitudo.

CVM exprimere uoluerimus patris ſollicitudinem, ſemper laborantis, ut filio benè conſulat, congruè adduxerimus illud ex eodem libro,
Omnis in Aſcanio Chari ſtat cura parentis.

Alterius opem petentis.

SI quando alicuius excellentis, & potentis uiri authoritate ac fauore nobis opus fuerit,

non ſine Venere uſurpabimus illud ex eodem libro,
Ad te Confugio, & ſupplex tua numina poſco.

In tanta rerum opportunitate non ceſſabit.

Cum innuerimus quempiam tantam rerum opportunitatem non relicturum, quin operam nauet, ut Conſilia, ac cogitationes noſtras interrumpat, atq; frangat, accommodum fuerit illud ex eodem libro,
Haud tanto ceſſabit cardine rerum.
Quod quidem (ut inquit Seruius) à Prouerbio tractum uidetur, de quo dicitur res eſt in cardine.

Vulgus mobile, & inconſtans.

Vbi indicare uoluerimus uulgus eſſe ingenio nobili, uariumq;, & rerum nouarum cupidum, citabimus illud inſignis poetæ in ſecundo Aeneidos libro,
Scinditur incertum ſtudia in contraria uulgus.

Cauendum ab eo, qui ſemel impoſuit.

Vbi

VBI monebimus cauendum eſſe ab aliquo, qui ſit inſigniter callidus, atq; improbus, uel qui nos olim deceperit, aut alios decipere conſueuerit, non inſcitè uſurpabimus illud ex eodem libro,

Sic notus Vlyſſes?

Inimicis ſemper diffidendum.

QVI dicet inimicis nunquam fidendum, etiam ſi dicant, aut faciant ea, quæ ab amicis, ac beneuolentiſſimis dici, fieriuè ſolent, accommodabit illud ex eodem libro,

Timeo Danaos, & dona ferentes,

Ad quod ſpectat uerſus ille ſenarius a græcò translatus,

Ab hoſte dicta ne unquam amica duxeris.

Et alter huic ſimilis,

Diffiſus hoſti nil unquam feres mali.

Arcanæ etiam ſcripturæ prouerbia nos admonent, ne de inimico reconciliato unquam ſecuri ſimus.

Ad utrumuis paratus.

IN eum, qui ad utranq; fortunam optimè ſit

ſit inſtructus, uel qui belli, ac pacis artibus ſit inſignis. Item in eum, qui bonis pariter, ac malis conuenire ſciat; Siue qui tam ſerijs, quàm iocoſis ſit accommodatus, & huiuſmodi; præclarè quadrabit illud ex eodem libro,

In utrunque paratus,

Quod de Sinone dicitur parato uel Troianos fallere, uel mori, ſi opus fuiſſet.

Paupertas fidem diminuere non debet.

Vbi negabimus paupertatem debere minuere de fide alicuius, accommodabimus illud ex eodem libro,

Nec ſi miſerum fortuna Sinonem
Finxit, uanũ etiã mendacemq; improba finget.

Nam & apud Iuriſconſultos quandoq; plus ponderis habet paupertas, & incorrupti alicuius mores, quàm diuitiæ alterius.

Vbi aliqui eandem de omnibus opinionem imbiberint.

In eos, qui de natione aliqua, genteuè, aut familia malam opinionem imbiberint, & qui de omnibus æque ſibi perſuaſum habeant; probè

probè conueniet illud ex eodem libro,

Omnes uno ordine habetis Achiuos.

Ego quoq; aliquid ſum.

EGO *quoq; aliquid ſum, in hunc ſenſum pulcherrimè adaptabitur, illud ex eodem libro,*

Et nos aliquod nomenq;, decuſq;,
Geſſimus;

Vates ſecum omen auferat.

IN *eum, qui nobis dira minatur, aut triſtia præenuntiat, argutè torquebitur illud ex eodem libro,*

Quod Dij prius omen in ipſum
Conuertant;

Ad quod etiam applicari poterit illud ex Aeneidos nono,

Dij capiti ipſius, generiq; reſeruent.

Vbi cognitum eſt, quod erat occultum.

CVM *proditio, frausuè, aut coniuratio aliqua detecta fuerit, pulchrè uſurpabitur illud ex eodem libro,*

Tum

Tum uero manifeſta fides, Danaumq; pateſcũt Inſidiæ;

Iam proximus ardet paries.

Iam proximus ardet
Vcalegon;

Carmen eſt in eodem libro, confine illi Horatiano in Epiſtolis,

Nã tua res agitur paries cùm proximus ardet

Vti autem licebit, cùm periculum, aut calamitatem aliquam mox ad nos uenturam eſſe ſignificabimus; uel ubi monuerimus ex alienis malis diſcendum eſſe, quomodo rebus noſtris conſulere poſſimus.

Inſigniter callidus.

In eum, qui egregiè callidus ſit, ac uerſutus, & ad decipiendum optimè paratus, feſtiuè torquebitur illud, quod de Sinone ibidem dicitur,

Dolis inſtructus, & arte Pelaſga.

Concinnius autem quadrabit in eum, qui diſſimulare, ſimulareq; rectè calleat. Videtur autem Virgilius hoc in libro ubiq; notaſſe Græcos

tanquam

tanquam doloſos , & uaſros , unde & illud ,
Accipe nunc Danaũ inſidias, et crimine ab uno
Diſce omnes ;

Quod præſidium nobis reſtat ?

V BI *res in anguſto erunt , & dubitabimus quò nam potiſſimum confugiendum ſit, ſeu quòd conſilium capiendum ſit , egregiè adaptabimus illud ex eodem libro ,*
Quo res ſũma locò Pãthu ? quã prẽdimus arcẽ?

Iam mors aduenit .

V BI *extremum uitæ diem iam aduentaſſe dixerimus, elegantiſſimè conueniet illud ex eodem libro ,*
Venit ſumma dies , & ineluctabile tempus.

Victor à uicto quandoq; ſuperatur .

R EI *opportunitate aliquando fit , ut uictus contra uictorem reſurgat , & uictus uictorem ipſum obterat ; ad id non ineleganter accommodari poterit illud ex eodem libro ,*
Quondam etiam uictis redit in præcordia uirtus,

Victoresq; cadunt Danai;

Sic Annibal à Minutio, quem inſidijs obſederat, per Fabij copias depulſus, ubi rediſſet in caſtra, dixiſſe fertur, eo prælio uictum à ſe Minutium, ſe autem à Fabio ſuperatum fuiſſe; uidelicet ex ea pugna uictor, & uictus rediit, perierat enim Minutius, ni Fabius opem tuliſſet; Huc pertinet illud, Vir fugiens denuo pugnabit.

Non refert quemadmodum uictoria comparetur.

Dolus an uirtus, quis in hoſte requirat?

Apud Maronem in eodem libro, Prouerbialis ſententia, qua uix Tritiorem aliam reperies, cõueniet, cùm ſignificabimus non referre, quo uictoria quæratur, & an uiribus, an dolo res ipſa obtineatur. Plutarchus refert Lyſandrũ ad eos, qui ipſi probro dabant, quòd pleraq; dolo ac fraude gereret, non palam uirtute conficeret, hac in re Hercule, à quo generis originem trahebat, indignus, ridentem dixiſſe, ubi, quod uellet, Leonis exuuio non aſſequeretur, ibi Vulpinum addendum eſſe. At quanto præclarius Fabritius, qui turpe duxit Romanis dolo hoſtem occidere, quem uiribus ſuperare nõ poſſent,

ſent. Alexander quoq;, cum eum Parmenio hortaretur, ut noctu hoſtem adoriretur, alioquin ſummum fore diſcrimen, ſi cum tanta multitudine die martem experiretur, uictoriam nolle ſe furari, reſpondit; quoniam ſcilicet tenebrarum præſidio uincere recuſabat. Sed turpiſſimam eſſe dolo partam uictoriam, uel ex eo conijci licet, quòd hæc ſententia profertur à choræbo, quem Virgilius, Euphorionem æmulatus, furibundum, ac ſtultum inducit; unde & natum eſt prouerbium, Stultior choræbo. Ad hæc etiam ſpectare uidetur illud ex eodem libro,

Captiq; dolis, lachrymiſq; coacti,
Quos neq; Tytides, nec Lariſſeus Achilles,
Non anni domuere decem, non mille Carinæ.

Suo gladio ipſos iugulabimus.

Qvotieſcunque aduerſarij noſtri ea dicunt, quæ facilè in eos retorqueri poſsũt; et quæ ad cauſæ noſtræ uictoriam maximè ſpectant, feſtiuè accommodabimus illud ex eodem libro,
Arma dabunt ipſi;

Aduerſus numinis decretum, humana prouidentia, nihil ualet.

MANCA eſt omnis mortalium induſtria, omniſq; conatus, niſi fauor aſpiret diuinus; ad hoc faciet illud ex eodem libro,

Heu nihil inuitis fas quenquam fidere Diuis.

Mors omnibus eſt communis.

QVI dicet omnibus ex æquo moriendum, nec cuiuſpiam probitate arceri fati neceſſitatem; haud inuenuſtè uſurpabit illud ex eodem libro,

Cadit & Ripheus, iuſtiſſimus unus
Qui fuit in Teucris, & ſeruantiſſimus æqui.

Non eſt opus tali auxilio.

CVM quis conſilium, aut auxilium offert, quod præſenti negocio parum expediat, ueluti cũ quis rem quã iudicio geri oporteat, ui aut armis gerendam eſſe, exiſtimat; aut cùm utitur argumentis parum firmis, & quæ ad rem mini mè ſpectare uideantur, non inconcinnum fuerit illud ex eodem libro,

Non tali auxilio, nec defenſoribus iſtis,
Tempus eget;

Mirè etiam accommodabitur, ubi amici in rebus aduerſis, tantum collachrymant amico, ac complorant,

complorant, quemadmodum in Tragedijs fieri uidemus.

Argumentum parum forte; aut Fruſtratus conatus.

Qvotieſcunq; aduerſarij noſtri argumentum adeo debile, & infirmum eſſe ſignificabimus, ut facilè retundi poſſit, & quaſi per ſe corruat, uſurpandum erit illud ex eodem libro,

Telumq́; imbelle ſine ictu
Coniecit, rauco quod protinus ære repulſum,
Et ſummo Clypei nequicquã umbone pependit.

Transferri etiam cõmodè poterit ad eum, cuius conatus irritus, atq; inanis fuerit.

Hoſtem in manu habet.

Vbi quis inimicum in poteſtate habet, ita ut facilè ſe ulciſci queat, optimè conueniet illud ex eodem libro,

Iam iamq́; manu tenet, & premit haſta.

Multum etiam ueneris habebit, ſi trahatur ad eum, quem iam ab aliquo urgentiſſimis rationibus, & argumentis, conuictum eſſe ſignificauerimus,

Reijcientis

Reijcientis culpam.

ADVERSVS eum, qui calamitatum ſuarum culpam, in hunc, uel in illum reijcit, ita ut uulgo fit; aptè torquebitur id, quod Aeneam alloquitur Venus in eodem libro,
Non tibi Tindaridis facies inuiſa Lacenæ,
Culpatusuè Paris, uerum inclementia Diuum
Has euertit opes.

Vir conſtans.

IN uirum conſtantem, ac in eodem uitæ curſu perſeuerantem, non inſcitè detorſeris, illud quod de Anchiſe dicitur in eodem libro,
Et ſedibus hæret in iiſdem;
Sic curioſos, & qui circumaguntur quibuslibet opinionibus, aut qui ſubinde uitæ inſtitutũ mutant, non una habitare in domo, incertáq; ſede uagari, haud ineptè, dixerimus.

Amicus fidus.

CVM amicum, neq; in aduerſa, neque in ſecunda fortuna, deſerturos eſſe pollicebimur, uſui erit illud ex eodem libro,

Quo

Quo res cunq; cadent, unum & cōmune piclū,
Vna ſalus ambobus erit.

In formidoloſum.

I N *formidoloſum, & qui ſupra modum timidus ſit, aptè dicetur illud ex eodem libro,*
Nunc omnes terrent auræ, ſonus excitat omnis
Suſpenſum;

Item illud ex eodem libro,
Simul ipſa ſilentia terrent.

Exitus inſperatus.

C V M *quid longè ſecus euenit, ac putabamus, uel cùm innuimus calamitates à Deo Opt. Max. aliquando nobis immitti, ut reſipiſcamus, ac in uiam redeamus, conueniet illud ex eodem libro,*
Non hæc ſine numine diuum
Eueniunt;

Longa peregrinatio.

A D *eum, cui longa, ac difficilis, ſit ſubeunda peregrinatio, lepidè transferetur illud*

ex eodem libro,

Longa tibi exilia, & uaſtū maris æquor arādū.

Plus autem leporis habebit, ſi deflectatur ad eum, qui uitæ laborioſæ curſum ſit ingreſſus; & quem multa incommoda, multosq; labores aditurum, & paſſurum eſſe ſignificabimus.

Ad felicem inflectere parietem.

ILle ut opes fractæ Teucrū, et fortuna receſſit,
Res Agamēnonias, uictriciaq; arma ſecutus,
Fas omne abrumpit;

Hæc carmina de Metio dicuntur ab eximio poeta in tertio Aeneid. libro, quæ torquere licebit non ſolum in eos, qui ad uictricem partem ſemper transfugiunt, ut de illis legitur, qui inclinata Pompeij fortuna, ad Cæſarem ſe contulerunt; Verum etiam in eos, qui amicum in aduerſis deſerunt, ac commodi ſui cauſa ſemper ad potentiores, ac fortunatiores ſe applicant; Ad quod genus hominum Euripides in Oreſte alluſiſſe uiſus eſt,

Nanq; id genus ſunt uſq; præcones, uti
Feliciorum partibus ſe accommodent;
Amentq; demum hunc, qui ſit inter principes,
Reiq; qui temperat habenas publicæ.

Idem

Idem in Hercule furente,
Cui res ſecundæ, huic nauiganti quilibet
Comes ire quærit, non item infelicibus.

Longa propagatio.

QVI longam rei cuiuſpiam propagationem indicare uoluerit, accommodabit illud ex eodem libro,
Et nati natorum, & qui naſcentur ab illis,

Quibus ex ſententia res ſuccedunt.

DE ijs, quibus bene, ac feliciter res procedit, tempeſtiuè dicetur illud ex eodem libro,
Proſequitur ſurgens à puppi uentus euntes.

Cedendum prudentioribus.

VBI cuiuſpiam excellentis, & prudentis uiri ſententiæ, ac conſilio, acquieſcendum eſſe dixerimus, uſurpare poterimus illud ex eodem libro.
Cedamus Phœbo, et moniti meliora ſequamur.

A recta uia, ſeu ab honeſto deflectentes.

In eos, qui, cùm à rectè inſtitutæ uitæ curſu declinarint, incertis, ac maximis animi cupiditatibus, ac perturbationibus agitantur, pulchrè adaptaueris illud ex eodem libro,

Excutimur curſu, & cæcis erramus in undis.

Omni ſpe deſtitutus.

Qui ſe magnis affligi calamitatibus dicet, et grauiſſimis terreri periculis, nec ullum apparere ſubſidium, lepidiſſimè utetur illo ex eodem libro,

Nec iam amplius ullæ
Apparẽt terræ; cœlum undiq;, et undiq; põtus.

Quæ ſententia ſic uariatur in quinto Aeneidos,

Nec iam amplius ulla
Occurrit tellus, maria undiq;, & undiq; cœlum.

Maxima tempeſtate iactati.

Si quando magna nos tempeſtate uexari innuerimus, & uiolentiſſimis fortunæ procellis Agitari, accommodare licebit illud ex eodem libro,

Continuo uenti uoluunt mare; magnaq; ſurgunt
Aequora, diſperſi iactamur gurgite uaſto;

Quocunq;

Quocunq; ratio, ſeu fortuna tulerit, eundum eſt.

VBI certum nihil eſt, ad quod noſtri dirigantur Conatus, adaptare poterimus illud ex eodem libro,

Fugimus ſpumantibus undis,
Qua curſum uentusq;, gubernatorq; uocabant.
Non diſſimili figura dixit Horatius in Epodis,
Ire, pedes quocunq; ferunt, quocunq; per undas
Notus uocabit; aut proteruus Africus.

Attende diligenter.

QVI innuerit ſe quippiam prolaturũ, quod maximè ad rem attineat, et quod ratum, ac certum futurum ſit, haud abſurdè proferet illud ex eodem libro,
Signa tibi dicam, tu condita mente teneto.

Vndiq; periculum imminet.

PAræmiam illam uulgatiſſimam, inter Scyllam, & Charybdim, eleganter extulit Maro in eodem libro, cum ait,
Dextrũ Scylla latus, læuũ implicata Charybdis

 Obſidet;

Obſidet;

Maximis ereptus malis.

IN *eum cui ingentia pericula, maximasq; ruinas effugere licuerit, non erit fortaſſe alienum deflectere illud, quod de Anchiſa ait Helenus in eodem libro,*

Bis Pergameis erepte ruinis.

Sic in eum, quem à maximis anguſtijs à te exemptum eſſe dixeris, belle quadrabit illud ex Aeneidos ſexto,

Illum ego per flammas, & mille ſequentia tela Eripui.

Otium optatum aſſecutus.

IN *eos, qui poſt multos labores, ac uigilias, honeſtiſſimo tandem otio perfruuntur, ac quietam uitam agunt, tuti & à fortunæ, & ab inuidiæ procellis, non ſine Venere torquebis illud ex eodem libro,*

Vobis parta quies, nullum maris æquor arandũ.

Hoc poſteri noſtri curent.

QVI negabit animum ſemper affligendum eſſe pro rebus futuris, ſed non nihil etiam ſollicitudinis relinquendum eſſe poſteris, non intẽpeſtiuè citabit illud ex eodem libro,

Maneat noſtros ea cura nepotes.

De eo, qui in periculis non ſuccumbat.

HOC demum eſt ſapere in periculo ſapere; ad id maximè conueniet, illud ex eodem libro,

Nec talia paſſus Vlyſſes,
Oblitusuè ſui eſt Ithacus diſcrimine tanto.

Multis huius uitæ malis agitatus.

IN eum, qui multis huius uitæ incommodis, ac moleſtijs uexatus fuerit, quadrabit illud ex eodem libro,

Pelagi tot tempeſtatibus actus.

In uoti compotem.

IN eum, qui aſſecutus eſt, quod ſummoperè optabat, atq; affectabat, congruet id, quod apud grauiſſimum, & elegantiſſimum poetam

ait Iuno in quarto Æneidos libro,

Habes tota quod mente petiſti.

Ex minimis initijs maxima.

SI *quando ſignificauerimus, grauiſſimas inimicitias nonnunquam naſci ſolere ex leuiſſimis iniurijs; ad id non illepidè detorſerimus illud, quod de fama dicitur in eodem libro,*

Parua metu primo, mox ſe ſe attollit in auras,
Ingrediturq́; ſolo, & caput inter nubila condit,

Quod quidem ab Homero ſumptum uidetur ex quarto Iliados, ubi de Eride ſic inquit,

Paulatim aſſurgit, mox æthera uertice ſummo
Tangit, & in terris iterum ueſtigia figit;

Huc pertinet illud Liuij tertiæ Dec. primo, Paruus ſæpe ignis ingens incendium exuſcitat. Quã rem elegantiſſimè deſcripſit Virgilius Georgicorum ſecundo in illis uerſibus,

Ac ſæpe incautis paſtoribus excidit ignis;
Qui furtim pingui primum ſub cortice tectus
Robora comprendit, frondeſq́; elapſus in altas
Ingentem cœlo ſonitum dedit inde ſecutus
Per ramos uictor, perq́; alta cacumina regnat,
Et totum inuoluit flammis nemus, et ruit atram
Ad cœlum picea craſſus caligine nubem;

Præſertim ſi tempeſtas à uertice ſyluis
Incubuit, glomeratq; ferens incendia uentus.

Varijs calamitatibus uexatus.

Ad eum, quem aduerſa fortuna uarijs, ac diuerſis modis exercet, ac fatigat, non inepte transferetur illud ex eodem libro,
Et uento pulſatus, & imbri.

Ancipitis animi.

Animum ancipitem, & incerti conſilij, ſi quando indicare uoluerimus, competet illud ex eodem libro,
Atq; animũ nunc huc celerẽ, nunc diuidit illuc,
In parteſq; rapit uarias, perq; omnia uerſat,
Qui uerſus repetiti fuerunt in octauo Aeneidos.

Nimis anxius.

In eum, qui ſupra modum anxius ſit, ac timidus, quadrabit illud ex eodem libro,
Omnia tuta timens.

Quoad uixero,

QVOD perpetuò animo noſtro infixum fore ſignificabimus, indicare licebit illo ex eodem libro,

Dũ memor ipſe mei, dũ ſpiritus hos reget artus.

Si meo modo uiuere mihi liceret.

S i meo arbitrio, meisq; præſidijs, mihi uiuere fas eſſet; nec neceſſe eſſet ad alterius nutum uiuere, in hunc ſenſum faciet illud ex eodem libro,

Me ſi fata meis paterentur ducere uitam
Auſpicijs, & ſponte mea componere curas,

Quod translatum eſt ab antiquis Romanis, qui (ut inquit Seruius) omnia auſpicatò gerebant.

Inexorabilis.

I n hominem durum, atq; aſperum congruet illud ex eodem libro,

Duris genuit te cautibus horrens
Caucaſus, hircanæq; admorunt ubera Tygres.

In ingratum.

I s, qui rerum omnium egenti ſubuenerit, et

ab omnibus deſtitutum ſuſceperit, ac liberaliter tractauerit, ſi quando id exprobrabit, tempeſtiuum erit illud ex eodem libro,

Eiectum littore egentem
Excepi, & regni demens in parte locaui.

Implacabilis.

IN immitem, ac exoratu difficilem, non ineptè dicetur illud ex eodem libro,

Sed nullis ille mouetur
Fletibus, aut uoces ullas tractabilis audit.

Item illud ex eodem libro,

Mēs immota manet, lachrymæ uoluūtur inanes.

Non ineleganter etiam quis detorſerit in uirum conſtantem, & qui mulierum lachrymis minimè moueatur.

Ipſiſſimus eſt.

SI quando quempiam alicuius ſimillimum eſſe affirmabimus, non abſurdè accommodabitur id, quod in eodem libro de Mercurio dicitur, cùm iterum Aeneæ apparet in ſomnis,

Omnia Mercurio ſimilis, uocemq; coloremq;
Et crines flauos, & membra decora iuuentæ.

Fœmina nihil mobilius.

Foemina *nihil leuius, aut magis inconſtans, hanc ſententiam eodem libro ſic effert Virgilius,*

Varium, & mutabile ſemper
Fœmina.

Orationem ſuam carpentis.

Cvm *ipſi reprehenderimus orationem noſtram, uel quòd parum honeſta ſit, uel quòd rei præſenti parum conferat, locus erit illi carmini ex eodem libro,*

Quid loquor? aut ubi ſum? quæ mentē inſania mu- (tat?

Non omittenda bene gerendi negocij opportunitas.

V bi *quempiam cohortabimur ad aliquid agendum, & inſtandum, dum tempus rei bene gerendæ commoditatem affert, non inſeſtiuè uſurpabimus illud ex eodem libro,*

Demens, nec Zephyros audis ſpirare ſecundos? cui non diſſimile eſt illud ex Aeneidos tertio,

Et auræ

Vela

Vela uocant, tumidoq; inflatur Carbaſus auſtro.

In ebrium.

IN *ebrios, qui, ut eſt in prouerbio, ex duobus tria uident, lepidiſſimè congruet illud, quod de Pentheo ibidem dicitur,*
Et ſolē geminū, et duplices ſe oſtēdere Thæbas.

Incepta perficere deliberantis.

CVM *animo noſtro ſtatuerimus uſq; ad finem perſequi ea, quæ inceperimus, quadrabit illud ex eodem libro,*
Quæ rite incepta paraui,
Perficere eſt animus, finemq; imponere curis.

Cura grauis.

IN *eum, cuius animum ingens, ac grauis cura perculſerit, non inſcitè detorquebitur illud ex eodem libro,*
Infixum ſtridet ſub pectore uulnus.

A fœmina irata cauendum.

S i quando innuerimus multum eſſe periculi fœminam iratam laceſſere, propterea quod irritabile, ac uindex ſit mulierum genus, afferemus illud, quod habetur apud celebrem poetam in quinto Aeneidos libro,

Notumq; furens quid fœmina poſſit.

Fortunæ commutatio.

C v m ſecunda fortuna in aduerſam conuertitur, non ineptum fuerit illud ex eodem libro,

Mutati tranſuerſa fremunt, & ueſpere ab atro
Conſurgunt uenti.

Cum fortuna non pugnandum.

Q v i dicet cum fortuna non eſſe pugnandum, & eò dirigendum eſſe uitæ curſum, quocunq; nos ferat, accommodandum erit illud ex eodem libro,

Nec nos obniti contra, nec tendere tantum
Sufficimus. ſuperat quoniam fortuna, ſequamur.
Et illud, quod apud eũdem poetam alibi legitur.
Quò Deus, et quò dura uocat fortuna, ſequamur.
Ad eandem autem ſententiam uenuſtius detorquebitur

quebitur illud, quod ſtatim ſubnectitur in eodem libro,

Equidem ſic poſcere uentos
Iamdudum, & fruſtra cerno te tendere contra.

Fortuna aſpirans.

CVM *ſecunda fortuna fauet, non inconcinnè, adaptabitur illud ex eodem libro,*

Et uela ſecundi
Intendunt Zephyri.

Fauſtus exitus.

SI *cui uariæ ſe obtulerint difficultates, antequam aſſecutus ſit id, quod ſummo optabat opere, ita ut non ſine numinis fauore, ac auxilio id eueniſſe uideatur, non abſurdum erit adducere illud ex eodem libro,*

Haud equidē ſine mēte reor, ſine numine Diuũ,
Adſumus, & portus delati intramus amicos.

Alij maiora pertractent.

VBI *quempiam admonuerimus, ut circa res humiles, ac mediocres uerſetur, & ſublimiora*

miora argumenta alijs pertractanda relinquat, uel ne temere, & præter uires periculoſa nego cia ſubeat, lepidè accommodabimus illud ex eodem libro,

Littus ama, & læuas ſtringat ſine palmula cau-
Altum alij teneant. (tes,

Ad laborem adhortantis.

SI quando quis adoleſcentes, uel commilitones ſuos adhortabitur, ut ſtrenuam operam ſtudijs impendant, eleganter uſurpauerit illud ex eodem libro,

Nunc nunc inſurgite remis
Hectorei ſocij,
Nunc illas promite uires,
Nunc animos.

Vbi quis in præſentaneo periculo deſeritur.

CVM deſerimur ab aliquo, de quo primum periculum fieri contigerit, non infeſtiuè detorſerimus illud ex eodem libro,

Et primum in ſcopulo luctantem deſerit alto.

Vento, & fulmine ocyor.

ADmirandam celeritatem indicare licebit hiperbola illa prouerbiali, quæ eſt in eodem libro,

Et uentis, & fulminis ocyor alis,

Sic in decimo Aeneidos,

Ocyor & iaculo, & uentos æquante ſagitta,

Et alibi,

Volat ocyor Euro.

Quod pulchrum idem amicum; uel Forma uirtutem ornat, atq; auget,

QVotieſcunq; innues homines facilè adduci ſolere, ut formoſis faueant, uel uirtutem, ſi ad eam accedat oris dignitas, conciliare maiorem gratiam apud mortales; in utranq; ſententiam accommodare poteris uerſus illos ex eodem libro,

Tutatur fauor Euryalum lachrymæq; decoræ,
Gratior, & pulchro ueniens e corpore uirtus
Adiuuat.

Dum eram Iunior.

DVM eram iuuenis, in hunc ſenſum aptiſſimè congruet illud ex eodem libro,

Dum melior uires ſanguis dabat ,

Ad quod applicari poterit illud ex Aeneidos ſecundo ,

Vos o , quibus integer æui
Sanguis (ait) ſolidæq; ſub ſtant robore uires.

Iam ſenex eſt ,

I A M ſenex eſt ; hanc ſententiam eleganter exprimere licebit carmine illo quod eodem in libro de Entello profertur ,

Iam tarda trementi
Genua labant ;

Nam & de iuuentute dixit Horatius ,
Dumq; uirent genua ,
Et decet obducta ſoluatur fronte ſenectus .

Manus conſerunt .

V B I cominus confligitur , elegantiſſime quadrabit illud ex eodem libro ,
Immiſcent manibusq; manus , pugnãq; laceſsũt ,
Maiorem autem elegantiam habebit , ſi deducetur ad paleſtram literariam , & ad pugnas umbratiles .

Modis

Modis omnibus incitat.

V B I *quis modis omnibus alterius animũ tentat, ac ſollicitat, & nihil tandem proficit, egregiè detorquebitur illud ex eodem libro,*
Nunc hos, nunc illos adytus, omnẽq; pererrat
Arte locum, & uariјs aſſultibus irritus urget.

Subitum præuidere malum.

D E *eo, qui ſubitum fortunæ impetum, atque imminens aliquod malum præuiderit, ac uitarit, non inconcinnè dixeris illud ex eodem libro,*
Ille ictum uenientem à uertice uelox
Præuidit, celeriq; elapſus corpore ceſſit.

Modo amici, modo inimici.

DE *iјs, qui modò inimici, modo amici inter ſe ſunt, non infeſtiuè quis protulerit illud ex eodem libro,*
Nunc ſpicula uertunt
Infenſi, facta pariter nunc pace feruntur.

Patientia ſuperantur aduerſa.

VBICUNQ; adhortabimur ad fortiter, & ſapienter ferendum quicquid acciderit. Tempeſtiuum erit illud ex eodem libro,

Quo fata trahunt, retrahuntq; ſequamur,
Quicquid erit ſuperanda omnis fortuna ferẽdo eſt.

Parendum ſenum conſilijs.

CVM admonuerimus quempiam, ut ſenioris alicuius optimis conſilijs obtemperet, quadrabit illud ex eodem libro,
Conſilijs pare, quæ nunc pulcherrima Nautes
Dat ſenior.

In aberrantem à Scopo.

IN eum, qui aberret à re propoſita, uel in eum, qui ab honeſto deflexerit, pulcherrimè torquebis illud ex eodem libro,

Quo deinde ruis? quo proripis?

Numero inferiores, ſed uirtute ſuperiores.

NVMERO inferiores, uirtute autem præſtantiores, in hanc ſententiam quadrabit illud ex eodem libro,

Exigui numero, ſed bello uiuida uirtus.

Argutius autem erit, ſi detortum fuerit uel ad eos, quos acerrimos in diſputando eſſe ſignificabimus, uel ad eos, quos eruditione, aut alia quàm bellica uirtute excellere innuemus.

Omnia perturbauit.

OMNIA perturbauit, nihilq; non fecit; in hunc ſenſum pulchrè conuenit illud, quod de Iunone omnia contra Aeneam tentante dicitur in eodem libro,

Maria omnia cœlo
Miſcuit.

Non diſſimile erit illud in primo Aeneidos,

Iam cœlum, terrasq; meo ſine numine uenti
Miſcere, & tantas audetis tollere moles.

Non æqua concertatio.

VBI ſignificabimus alterum haud parem eſſe alteri, non ſolum quia alter plurium, potentiorumq; principum præſidio ſit fultus, uerum etiam, quia domeſticis uiribus longè præſtet, haud intempeſtiuum fuerit illud, quod de Aenea cum Achille congreſſo dicit Nep-

tunus eodem in libro,

Nec dijs, nec uiribus æquis.

Quadrabit etiam ubi quempiam altero, & ingenio, & doctrina, uel ijs rebus, quæ a fortuna largiuntur, & induſtria acquiruntur, longè inferiorem eſſe innuerimus.

Vnus pro multis plectitur.

CVM *plures noxiam, & crimen aliquod admiſerint, & tamen contingit, ut unus duntaxat plectatur, mirè congruet illud ex eodem libro,*

Vnum pro multis dabitur caput.

In eadem ſententia perſiſto.

ADhuc *in eadem ſum ſententia; uel in eodem propoſito adhuc hæreo, in hunc ſenſum quadrabit illud ex eodem libro,*

Nunc quoq; mens eadem perſtat mihi.

Fortuna uſquequaq; fauens.

CVM *ſecundæ eunt res, multum conueniet illud ex eodem libro,*

Ferunt

Ferunt ipſa æquora claßem,
Aequatæ ſpirant auræ, datur hora quieti.

Fortuna tunc uel maximè metuenda, cùm blanditur.

IN *eum, qui cùm fauenti, & uſquequaq; obſequenti fortunæ fideret, in improuiſam aliquam calamitatem inciderit, non abſurdè detorquebis illud ex eodem libro,*
O nimium cœlo, & pelago confiſe ſereno.
Sic cùm admonebimus cauendum eſſe à fortuna, Tunc cùm frontem exporrigit, adaptabimus illud, quod paulopoſt ſubſequitur in eodem libro
Quid enim fallacibus auſtris?
Et cœli toties deceptus fraude ſereni?

Hic nodus iacet.

HIC *nodus iacet, uel hic conſiſtit rei difficultas, in hunc ſenſum intorqueri commodè poterit, id quod de labyrinto dicitur à doctiſſimo, & ſapientiſſimo poeta in ſexto Aeneidos libro,*
Hic labor ille domus, & inextricabilis error.

Vbi

Vbi occulta proditur coniuratio.

VBI quis prudentia ſua, quemadmodum contra Catilinam olim fecit Cicero, ſecretam coniurationem patefacit, uel contextam ab alijs fraudem disijcit, ac denudat, non inconcinnè uſurpabitur illud ex eodem libro,

Ipſe dolos tecti, ambagesq; reſoluit.

Cui ſimile eſt illud in Aeneidos primo,

Cæcumq; domus ſcelus omne retexit,

Quadrabit etiam ubi quis negotium aliquod inexplicabile diſſoluit.

In conſcium.

IN eum, qui praui conſcientia, uultum ſubinde mutat, aptè deflexeris illud, quod de furente Sybilla, ait Virgilius in eodem libro,

Non uultus, non color unus,

Trahi etiam poterit in ſui diſſimilem; uel in timidum, cuius color uertitur, ut eſt in ueteri prouerbio.

Hactenus fortuna ſæuierit.

HActenus aduerſa fortuna nos inſecuta fuerit,

bana

hanc ſententiam non inſcitè uariare licebit carmine illo Virgiliano ex eodem libro,

Hac Troiana tenus fuerit fortuna ſecuta.

Troiæ enim excidium poetis multa tragædiarum argumenta excitauit. Vnde & prouerbium, Semper Ilio mala, in uehementer calamitoſos, & afflictos. Et hac ratione ſupra citauimus illud in tertio Aeneidos,

Bis Pergameis ereptè ruinis.

Quibus addi poterit illud in quinto,

Iliacis exercitè fatis,

Et illud in decimo,

Iterumq; reuoluere caſus,

Da pater Iliacos Teucris.

Vitæ malis exemptus.

IN eum, qui huius uitæ miſerijs, & anguſtijs tandem liberatus fuerit, quod in morte uix contingit, aptè dicetur illud ex eodem libro,

O tandem magnis pelagi defuncte periclis.

Non cedendum malis.

VBI quempiam adhortabimur, ne urgenti fortunæ cedat, ac flectatur, ſed ſurſum ſemper

nitatur, ac aduerſus pondus more palmæ reſurgat, concinnum fuerit illud ex eodem libro,

Tu ne cede malis, ſed contra audentior ito,
Quam tua te fortuna ſinat;

Nam ut inquit Seneca, Haud eſt uirile terga fortunæ dare; Et quemadmodum perniciosior hoſtis fugientibus, ſic grauius eſt incommodum plerunq;, ſi cedas, atq; animum abijcias.

Prudentis animo nihil nouum unquam accidit.

QVI aduerſam ærumnam, ac huius uitæ calamitates, æquo animo ſe ferre dicet, propterea quòd iam ſecum meditatus ſit, quid homini accidere poſſit, ita ut nihil noui ipſius animo eſſe queat, uſui erit illud ex eodem libro,

Non ulla laborum,
(O uirgo) noua mi facies, inopinauè ſurgit,
Omnia percepi, atq; animo mecum ante peregi.

Huius humanæ peregrinationis comes.

DE eo, qui nobiſcum huius uitæ incommoda, ac miſerias tulerit, & quem nobis ereptum

eſſe

eſſe dolebimus, haud illepidè protulerimus illud, quod de patre ait Aeneas in eodem libro,

Ille meum Comitatus iter, maria omnia mecum,
Atq; omnes pelagiq; minas cœliq; ferebat.

Ego quoq; ſum nobilis, aut illuſtris.

QVI *ſe quoq; à claris parentibus ortum eſſe contenderit, nō inſcitè uſurpabit id, quod ibidem inquit Aeneas,*

Et mi genus ab Ioue ſummo,

Ad quod attinet illud Euripidis,

Nobilis mihi demum uidetur, probus is
Qui ſit, ſicut contra, improbus qui, ignobilis;
Licet pater ſit clariorq; ipſo Ioue huic;

Hic conſiſtit difficultas.

CVM *in re aliqua ardua, ac perdifficili uerſari continget, tempeſtiuum fuerit illud ex eodem libro,*

Hoc opus, hic labor eſt.

Pauci uirtutem aſſequi potuere.

Paucos eſſe, qui uirtute, ac eruditione immortalem gloriam ſibi comparare potuerint, ad hoc faciet illud ex eodem libro,

Pauci quos æquus amauit
Iuppiter, aut ardens euexit ad ætera uirtus.

Non inferiora ſecutus.

In eum, qui ad ſublimiores ſcientias, & ad præclariſſima ſtudia ſe contulerit, aut qui alicui potentiſſimo principi ſe addixerit, conueniet illud ex eodem libro,

Non inferiora ſecutus.

pulchrè autem quadrabit in eum, qui rerum cœleſtium contẽplationi ſe dederit.

De rebus abſtruſis.

De rebus ſecretis, ac reconditis non abſurdè proferetur illud ex eodem libro,

Res alta terra, & caligine merſas.

Fatum immutabile.

Diuina decreta non commutantur, ad id congruet illud ex eodem libro,

Deſine

Deſine fata Deum flecti ſperare precando.

Præſenti animo opus eſt.

CVM *adhortabimur aliquem ad fortiter agendum, ferendum uè, locus erit illi Maroniano ex eodem libro,*
Nunc animis opus Aenea, nunc pectore firmo,
Ad idem faciet illud ex Aeneidos nono,
Audendum dextra, nunc ipſa uocat res.

In implacabilem.

DE *animo inexorabili, non intempeſtiuè dicetur illud ex eodem libro,*
Quàm ſi dura ſilex aut ſtet Marpeſia cautes,

Parcendum humilibus, at reprimendi inſolẽtes.

Imperatoris, & optimi principis officium eſt, erga rebellantes ſæuitia, erga ſubiectos manſuetudine uti, ad id faciet celebre illud Maronis in eodem libro,
Parcere ſubiectis, ac debellare ſuperbos,

In gloriabundum.

In gloriabundum aliquem, qui ueluti miles ille Terentianus, aut Plautinus ille Pyrgopolynices, omnes terras peragraſſe ſe iactitet, feſtiuiſſimè torquebis illud ex eodem libro,

Nec uero Alcides tantum telluris obiuit.

Idem carmen uſui erit, ubi quis omnes omnium libros ſe euoluiſſe, atq; omnia ſe uidiſſe impudenter gloriabitur; Et deniq; ubi quiſpiam aliqua alia in re nimium ſibi arrogabit; Quo enim longius deductum fuerit, eo plus inerit ſalis ac ueneris.

Fortuna propitia.

Cum ſecunda fortuna alicui fauet, atq; obſequitur non infeſtiuè uſurpabis illud apud egregium poetam in ſeptimo Aeneidos libro,

Neptunus uentis impleuit uela ſecundis.

Maiora aggredior.

Is, qui mediocribus rebus pertractatis, longè maiora ſe aggredi dicet, eleganter accommodabit illud ex eodem libro;

Maior rerum mihi naſcitur ordo,
Maius opus moueo,

Nec intempeſtiuè eodẽ utemur, ubi altiora, aut præclariora nos iã cogitare, ac moliri dixerimus

Dabo

Dabo quod uis.

QVI *non ægrè ſe præſtaturam eſſe pollicebitur, quod ab aliquo exoptetur, uti commodè poterit illo ex eodem libro,*

Dabitur Troiane quod optas,

Nil linquere inauſum.

QVI *ſe nihil non feciſſe, omniaq; tentaſſe, omniaq; expertum eſſe ſignificabit, feſtiuè uſurpauerit id, quod ait Iuno in eodem libro,*

Memet in omnia uerti.

Quod hac non ſuccedit uia, alia aggrediar.

VBI *aliquis, qui cùm non poſſit ſe diuinis tueri literis, ad philoſophorum dogmata confugit, uel ubi quis bonis artibus aliquid efficere cũ nequeat, ad malas ſe conuertit; Item ubi quis principum, ac nobilium fauore deſtitutus, humilium, ac uilium perſonarũ auxilium implorat; ad hæc omnia torqueri poterit illud ex eod. lib.*

Flectere ſi nequeo ſuperos, Acheronta moueo.

Optime etiam uſurpabitur, cum ſignificabimus homines in rebus difficillimis, extremoq; diſcrimine, auxiliũ undelibet, & petere, & ſperare.

Diſsidia

Diſsidia facile ſuſcitans.

Aduerſus eum, qui inter maximè concordes facilè diſcordiam inijcere poſſit, peſtilentiſſimo linguæ uitio, appoſitè flectetur illud ex eodem libro,

Tu potes unanimes armare in prælia fratres.

Omnes idem cupiunt.

Omnes idem nolunt, cum hac ſententia elegantiſſimè congruet illud ex eodem libro.

Idem omnes ſimul ardor agit,

At in quarto Aeneidos dicitur

Idem omnes ſimul ardor habet;

In tertio eiuſdem operis

Omnibus idē animus. ſcelerata excedere terra,

At in duodecimo

Sic omnes amor unus habet;

Beneficij immemores non erimus.

Cum ſignificabimus fore, ut quoſpiam beneficij in nos collati minimè pæniteat uſurpabimus illud ex eodem libro,

Nec Troiā Auſonios gremio excepiſſe pigebit.

Nobilis

Nobilis.

De uiro nobili atq; illuſtri haud inſcitè dici poterit, id quod de Turno ait Virgilius in eodem libro,

Auis, atauisq; potens.

Vnde Horatius in odis

Mæcenas atauis edite regibus.

Et Terentius in Phor.

At ſi talentum rem reliquiſſet decem, primus eſſes memoriter progeniem ueſtram uſq; ab auo atq; atauo proferens.

Atq; empta, & nuper parta nobilitas, non perinde magni fieri ſolet, atq; ea quæ ab antiquis, ac maioribus ad poſteros peruenit.

In aduerſis perfidus.

Si quando innueris, fore ut à quopiam deſeraris, cum primum fortuna aduerſa eſſe inceperit, mirum in modum congruet illud, quod in eodem libro ab Amata in Aeneam profertur,

Primo Aquilone relinquet

Perfidus;

Ferè enim ubiq; Virgilius Aquilonis meminit, tanquam uenti maximè impetuoſi, unde & in

quarto Aeneidos

Quid medijs properas Aquilonibus ire p altum?

Et in primo,

Talia iactanti ſtridens Aquilone procella

Velum aduerſa ferit, fluctusq́; ad ſydera tollit.

Traditum eſt autem ab authoribus, Aquilonem initio uehementem eſſe, ſed deſinere leniorē, Contra Auſtrum initio quidem leniorem eſſe, ſed deſinere uehementiorem;

In immiſcentem ſe negocio minimè ad ſe pertinenti.

INGERENTI *ſe negotijs, quæ ad ſe minimè ſpectent, & attineant, occinere licebit uerſum illum, quo Alecto in Calybem Iunonis ſacerdotem transformatam ibidem alloquitur Turnus,*

Arma uiri, bellumq́; gerant, queis bella gerēda.

Reijcientis authorem formidinis.

TERRITANTI, *metumq́; inanem incutienti, per commodè obieceris illud, quod eodem loco dicitur,*

Ne tantos mihi finge metus.

Conatus

Conatus exitum ſortitus.

De eo, *qui aliquid tentarit, & tentatum aſſecutus ſit; non infeſtiuè quis protulerit illud ex eodem libro,*

Curuo direxit ſpicula cornu,
Nec dextræ erranti Deus abſuit.

Inſignis, ac celebris.

*A*d *uirum celebrem, & illuſtrem eleganter transferes illud ex eodem libro,*
Nobilis, & fama multis memoratus in oris.

Excelſus animus.

De *præſtantis animi uiro, & aduerſus omnem fortunæ ſæuientis impetum inuicto, appoſitè dicetur illud, quod de Latino ſeditioni reſiſtẽte ait Virgilius in eodem libro,*
Ille uelut pelagi rupes immota reſiſtit.
quod ſtatim ueluti enarrat, dum ſubdit,
Vt pelagi rupes magno ueniente fragore
Quæ ſe ſe multis circum latrantibus undis
Mole tenet; ſcopuli necquicquã, et ſpumea circũ
Saxa fremunt, lateriq; illiſa refunditur alga,

M *Ad*

Ad idem quoque ſpectabit illud ex Aeneidos decimo,

Ille uelut rupes, uaſtum quæ prodit in æquor,
Obuia uentorum furijs, expoſtaq; uento,
Vim cunctã, atq; minas perfert, cœliq; mariſq;
Ipſa immota manens;

Nec erit alienum huc applicare illud, quod de Aenea Didoni reſiſtente dicitur in quarto eiuſdem operis libro,

Ac uelut annoſam ualidi cum robore quercum
Alpini Boreæ nunc hinc, nunc flatibus illinc,
Eruere inter ſe certant, it ſtridor, & alto
Conſternunt terram concuſſo ſtipite frondes,
Ipſa hæret ſcopulis, et quantũ uertice ad auras
Aeterias, tantum radice in tartara tendit.

Fortunæ impetus.

SApientes omnem fortunæ impetum ſuperare non poſſunt, ad id quadrabit illud ex eodem libro,

Frangimur heu fatis (inqt) ferimurq; procella.

Parta ſecuritas.

QVI animi tranquillitatem nactus fuerit, et

qui

qui omnem ſecuritatem ſibi in manibus, atque in promptu eſſe dixerit, non incongruè citauerit illud ex eodem libro,

Iam mihi parta quies, omniſq; in limine portus.

Abijcientis animum.

DE eo, *qui afflictiſſimis in rebus ſpem, aut conſilium abijcit, non intempeſtiuè dicetur, quod inibi dictum eſt de Latino,*

Rerumq; reliquit habenas.

At uero quemadmodum gubernator, cùm iam inſurrexerit tempeſtas, nihilominus clauum moderatur, & antennam detrahit, ita ſapiens in aduerſis nunquam prorſus animo cadit;

Ingens rerum multitudo.

QVI *admirandam hominum, aut malorum, ſeu rerum multitudinem indicare uoluerit, citabit illud ex eodem libro,*

Quàm multi Lybico uoluuntur marmore fluctus
Sæuus ubi Orion hybernis conditur undis;
Vel cum ſole nouo denſæ torrentur ariſtæ,
Aut Hemi campo, aut Liciæ flauentibus aruis.

Virtutem omnem explicat.

*V*B I *quis omnes uires expedit, omneſque intendit neruos, optimè quadrabit illud quod à latinorum poetarum principe, de Hercule dicitur in octauo Aeneidos libro,*

Omniaq; arma
Aduocat.

Vbi furta deteguntur.

*C*V M *cuiuſpiam ſcelera, aut furta, quæ prius occulta fuerant deteguntur, ac manifeſtantur, non ineptè fortaſſis detorquebitur illud ex eodem libro,*

Panditur extemplo foribus domus atra reuulſis,
Abſtractæq; boues, abiurataeq; rapinæ
Cœlo oſtenduntur.

Fatis imputandum.

*Q*V I *hominem culpa liberabit, eamq; uel in fatum, uel in fortunam reijciet, accommodabit id, quod inibi dicitur ab Euandro,*

Fortuna omnipotens, & ineluctabile fatum
His poſuere malis;

Sic

Sic ſupra in ſexto,
Sed mea me fata, & ſcelus exitiale Lacenæ,
His merſere malis.

Carpentis inſinuatione utentem.

IN *amicum, qui longo proœmio, longisq́; uerborum anfractibus, aliquid à nobis impetrare Conatur, aptiſſimè quadrauerit illud ex eodem libro,*
Quid cauſas petis ex alto? fiducia ceſſit
Quo tibi Diua mei?
Dicuntur à Vulcano ad Venerem precatam, ut arma nato fabricaretur.

Operam ſuam pollicentis.

VBI *quis alteri pollicetur omnem operam, quam præſtare poſſit, cõgruet illud, quod ſtatim ibidem ſequitur;*
Quicquid in arte mea poſſum promittere curæ.

Sopita odia ſuſcitat.

CVM *alicuius opera, odia, quæ iam extincta eſſe uidebantur, reuiuiſcunt, & exuſcitantur*

tur inimicitiæ, quæ iam ſedatæ, & compreſſæ erant, non infeſtiuè uſurpabimus illud ex eodem libro,

Sopitos ſuſcitat ignes;

In homines agreſtes.

In homines aſperos, horridosq́;, & à ciuili cultu alienos, quadrabit illud ex eodem libro,

Gensq́; uirum truncis, & duro robore nata.

Sæpe temere eueniunt, quæ optare non audeas.

Cum præter ſpem, ac cogitationem noſtram, pulcherrima ſe ſe nobis obtulerit occaſio, non alienum fuerit adducere illud, quod habetur apud celeberrimum poetam in nono Aeneidos libro,

Quod optanti diuum promittere nemo
Auderet, uoluenda dies en attulit ultro.

Maiorum præſentia multum confert.

Si quando ſignificabimus ducis, abbatis,

dominiuè, aut præceptoris præſentiam, maximo eſſe incitamento militibus, ad pugnandum, monachis, ad incumbendum rebus diuinis; ſeruis, uel famulis ad peragendum ea, quæ domi neceſſaria ſunt; diſcipulis, ad uacandum ſtudijs, lepidè uſurpabimus illud ex eodem libro,

Vrget præſentia Turni.

Prius mare exures.

QVotieſcunq; ἀδύνατον *aliquid ſignificabis, non ſine prouerbiali figura afferes illud ex eodem libro,*

Maria antè exurere Turno,
Quàm ſacras dabitur pinus.

Cui non abſimile eſt, quod legitur in Propertio,

Tu prius, & fluctus poteris ſiccare marinos,
Altaq; mortali detrahere aſtra manu.

Suam cuiq; dolere iniuriam.

QVI *ſignificabit ſua quenq; dolere iniuria, ac contumelia, nec oportere quenquam impunè lædi; afferre poterit Virgilianum illud ex eodem libro,*

Nec

Nec ſolos tangit Atridas
Iſte dolor,

Imitatus eſt autem Homerum in nono Iliados libro,

Vxorum, Atridas ſolos, num cura fatigat?

Quod Sextus Cæcilius, ut refert Vulpianus in l. ſi uxor ff ad leg. Iul. de adult. & ſtupro, tanquam uulgo iactatum adducit, ad comprobandum legem Iuliam pertinere ad omnia matrimonia.

Animus inquietus, & magna aggredi cupiens.

Animum inquietum, & magna molientem indicare licebit carmine illo Virgiliano ex eodem libro,

Aliquid iandudum inuadere magnum
Mens agitat mihi, nec placida cõtēta quiete eſt.

Perſiſtentis in eadem ſententia.

De eo, qui conſtanter in eadem ſententia perſeuerat, non inſulsè dicetur illud ex eodem libro,

Nec mea iam mutata loco ſententia cedit.

Non

Non quis dicat, ſed quid dicatur inſpiciendum eſt.

Adoleſcenti, aut puero coram magnis, ac grauibus uiris de re quapiam dicturo, proœmij loco uti licebit illo, quod Niſus apud Maronem loquitur eodem in libro,

Audite, o mentibus æquis.
Aeneadæ, ne uè hæc noſtris ſpectētur ab annis.

Omnes res meas tibi committo.

Vbi quiſpiam alteri ſuas res omnes committit, ac in eo ſpem omnem collocat, conueniet illud ex eodem libro,

Quæcunque mihi fortuna, fideſq;,
In ueſtris pono gremijs.

In puero cura ſenilis.

In adoleſcentem longè prudentiorem, quàm ipſa ætas ferat, conueniet id, quod inibi de Aſcanio dicitur,

Ante annos, animumq; gerēs curamq; uirilem.

Obliuiſcentis, & eijcientis ex animo.

N Qui

QVI ſignificabit fore, ut quidpiam ilico euaneſcat, & facilè obliuioni mandetur, accommodabit illud ex eodem libro,

Sed auræ
Omnia diſcerpunt, & nubibus irrita donant,

Et in mox ſubſequenti libro,

Nec ferre uidet ſua gaudia uentos,

Idem alibi in undecimo,

Partem
Mente dedit, partē uolucres diſcerpſit in auras.

Prouidus.

IN uirum prouidum, ac prudentem non inconcinnè detorſeris illud, quod de Rheto inquit Maro in eodem libro,

Vigilantem, & cuncta uidentem,

Incerto uulnus ab hoſte
tulit.

CVM ab incerto authore cuipiam illata fuerit offenſio, feſtiuiſſimè uſurpabimus illud ex eodem libro,

Nec teli conſpicit uſquam
Authorem.

Culpam

Culpam omnem in ſe ipſum transferentis.

VBI quis ab alio culpam remouet, & omne crimen in ſe trãsfert uenuſtiſſimè quadrabit illud, quod in eodem libro ait Niſus pro amico ſe ſe offerens,

Me me adſum qui feci, in me cõuertite ferrum.

Alijs proſpiciens, non ſibi.

SI quando iocari libuerit in aliquem, qui cùm diuinandi artem profiteretur, alijs ſua mala cecinerit, ipſe autem ſuum malum præuidere nequierit, pulchrè accommodabis illud ex eodem libro,

Sed non augurio potuit depellere peſtem,

Dictum eſt de Rabumete, qui quidem erat augu riorum peritus, at nihilominus fuit à Niſo, dum dormiret, interfectus. Et conſimilis iocus eſt ſupra in ſeptimo.

Sed non dardaniæ medicari cuſpidis ictum
Eualuit, neq; eum iuuere in uulnera cantus
Somniferi, et Marſis quæſitæ in mõtibus herbæ.

Modis omnibus inſectari.

Eos, qui modis omnibus in nos inuehuntur, & acerrimè nos inſectantur, eleganter dixerimus omne telorum genus, in nos effundere, mutuò ſumentes id à Virgilio in eodem libro,

Telorum effundere contra
Omne genus Teucri,

Sic ſupra in ſecundo Aeneidos,

Nec ſaxa, nec ullum
Telorum interea ceſſat genus.

In ſenectute uires animi non deficiunt.

Senectus uires animi non imminuit, ad id congruè deflexeris illud ex eodem libro,

Nec tarda ſenectus,
Debilitat uires animi, mutatq; uigorem.

Relinquendum eſt negocium idoneis.

Cum iubebimus aliquibus, ut ſinant præclaram prouinciam ijs, qui ad eam magis apti, atq; accommodi ſint, uel qui eam egregiè ſuſtinere poſſint, ad id ſcitè detorquebimus, id, quod apud eundem poetam ait Numanus Remulus, dum Troianis deſidiam exprobrat,

Sinite

Sinite arma uiris, & cedite ferro.

Nouis diuitijs ſuper-
biens.

In eum, qui elatus incedat propter hæreditatem aliquam, quæ ei nuper aduenerit, non infeſtiuè torquebis illud, quod de eodem Numano ibidem dicitur,

Tumiduſq; nouo præcordia regno.

Tollere criſtas.

Animos ad ſydera tollere, & cœlo ferre animum, pro eo quod eſt animo efferri, aut ſpiritus, & arrogantiam ſumere, hyperbolicè dixit Virgilius in eodem libro,

Lætitiaq; fremunt, animoſq; ad ſydera tollunt,

Et in decimo Aeneidos.

Cœloq; animum fortaſſe ferebat,

In eundem ſenſum non inconcinnè etiam torqueri poterit illud, quod ſupra de cyclopibus dictum eſt in tertio Aeneidos libro,

Cœlo capita alta ferentes.

Acerrima contentio.

AD

AD contentionem, & diſputationem acerrimam lepidiſſimè tranſtuleris illud ex eodem libro,

Pugna aſpera ſurgit,

Et illud ex Aeneidos duodecimo,

Totis in uulnera uiribus itur;

Nec parum ſalis inerit, ſi trahatur ad eos, qui aſperrimis iurgijs, ac contumelijs mutuò ſe feriunt.

Fortis inter imbelles.

Robuſtus inter imbecillos, ſeu fortis inter inualidos ac puſilanimos, ad id feſtinè accommodaueris illud ex eodem libro,

Immanem ueluti pecora inter inertia tygrim

Item illud in duodecimo.

Territat inualidas ut aues;

Culpam ab aliquo remouentis.

CVM culpam ab aliquo remouebimus, & cum alteri iniuriam, aut offenſionem aliquam intuliſſe negabimus, uſui fuerit illud ex eodem libro,

Nec enim is teli, nec uulneris autor.

Bona ſpes oſtenſa.

CVM *bona quæpiam ſpes oſtenditur perficiendi, quod animo ſtatuerimus, uel cum ratio ipſa ſenſui dominari incepit, egregiè quadrabit illud ex eodem libro,*

Hic primùm noua lux oculis effulſit;

Pulchrè etiam accõmodabitur, ubi poſt primam illam in philoſophia deſperationem, lux ueritatis oborta diffidentiam omnem ex animo diſcutit.

Vbi quis fortunæ telis ullo modo reſiſtere nequit.

VBI *quis nulla ratione contra ſæuientis fortunæ impetus ſe tueri ualet, belliſſimè uſurpabimus illud, quod de Turno Troianorum telis obruto dicitur in eodem libro,*

Nec clypeo ſubſiſtere tantum
Nec dextra ualet, iniectis ſic undiq; telis
Obruitur;

Illud etiam, quod ſtatim ſubſequitur in eodem libro,

Nec ſufficit umbo
Ictibus,

In eandem ſententiam adaptari poterit, ſcilicet ubi prudentiæ clypeus denſiſſimis fortunæ ictibus non ſufficit;

Nondum obducta eſt cicatrix meis uulneribus.

CVM inuenerimus nondum obliterata eſſe antiqua uulnera, aut nondum deletas eſſe ueteres offenſiones, non inuenuſtè uſurpare licebit illud, quod apud clariſſimum poetarum lumen ait Venus in Decimo Aeneidos libro,

Et adhuc mea uulnera reſtant.

Diu diſſimulatum aperientis.

VBI contingit, ut quiſpiam irritatus tandem eloquatur ea, quæ diu obticuerat, ac diſſimularat, conueniet illud ex eodem libro,

Quid me alta ſilentia cogis
Rumpere, & obductum uerbis uulgare dolorē?

Moderator negocij.

IN eum, qui prudentia, ac authoritate ſua negocium aliquod moderatur, ſcitè deflectes illud

lud ex eodem libro,

Ipſe ſedens clauumq; regit, uelisq; miniſtrat.

Fortes fortuna adiuuat.

FORTES *fortuna adiuuat, uetus eſt prouerbium, ut teſtatur M. Tullius Tuſculanarum queſtionum libro ſecundo, quod à Marone ſic uſurpatum eſt in eodem libro,*

Audentes fortuna iuuat,

Quo hemiſtichio nihil hodie uulgatius,

De eo, qui ſe ab ambitionis fluctibus remouerit.

DE *eo, qui foro ſalutem dixerit, aut qui ſpretis honoribus, ac magiſtratibus, ad quos, homines ſummis laboribus, ac moleſtijs contendunt, otio, ac quieti ſe tradiderit, haud inelegan ter dixeris illud ex eodem libro,*

Poſitis inglorius armis,

Aduerſæ fortunæ ſuccumbens.

EVM, *qui fortunæ inſultibus diu obluctatus, præ nimio illius impetu tandem ſuccumbit, non*

inſcitè comparabimus Tarchontis naui, de qua ſic Virgilius in eodem libro,

Nan; inflicta uadis, dorſo dum pendet iniquo
Anceps, ſuſtentata diu, fluctusq; fatigat,
Soluitur, atq; uiros medijs exponit in undis.

Vbi lis incipitur.

SI quando contingit, ut quiſpiam iam prouocatus, ad certamen ſe præparet, & conuicijs agere aggrediatur, non ineptè accommodabitur illud ex eodem libro,

Tum magnam corripit haſtam,
Et iacit.

Comminus res agitur.

VBI propius ad rem acceditur, quadrabit illud ex eodem libro,

Hæret pede pes, denſusq; uiro uir.

Aequa concertatio.

CVM ſignificabimus, nos nulla in re eſſe æmulis aut inimicis noſtris inferiores, & ideo non detractandum eſſe certamen, uel animosè

ſuſcipiendas eſſe inimicitias, uſurpandum erit illud ex eodem libro,

Numina nulla p̃munt, mortali urgemur ab hoſte
Mortales, totidem nobis animæq; , manusq;.

Prudentiæ clypeo ſe obtegens.

VBI quis, contra impetentis fortunæ inſultus, philoſophiæ præceptis animum ſuum firmat, atq; munit, non inuenuſtè detorſerimus illud ex eodem libro,

Seq; in ſua colligit arma.

Vita breuis eſt, gloriæ curſus ſempiternus.

QVI monebit uitam hanc anguſtis eſſe circumſcriptam terminis; & ideo ſummis laboribus ad gloriam contendendum eſſe, qua perpetuo uiuimus, afferre poterit illud ex eodem libro,

Breue & irreparabile tempus
Omnibus eſt uitæ, ſed famam extendere factis
Hoc uirtutis opus;

Aduerſarium contemnentis.

Aſpice num fortius, ac ualidius ſit argumentum noſtrum; ad hunc ſenſum non ſine lepore torquebis illud ex eodem libro,

Aſpice num noſtrum mage ſit penetrabile telum

Idem uerſus trahi poterit ad conuicium alterius animum grauiter pungens, ac lædens.

Ne quis ſecundis rebus infletur.

*V*BI *quis ſecundis in rebus plus æquo effertur, opportunè citabimus illud ex eodem libro,*

Neſcia mens hominum fati, ſortisq́; futuræ,

Et ſeruare modum rebus ſublata ſecundis.

Prædiues.

PRAE*diuitem ſignificabimus ijs uerſibus, qui ſunt in eodem libro,*

Eſt domus alta, iacent penitus defoſſa talenta

Cælati argenti, ſunt auri pondera facti,

Infectiq́;.

Non hic negocij ſumma uertitur.

NON *hic negocij ſumma uertitur, Vel in hoc non conſiſtit rei cardo, Siue hinc litis uicto-*

ria

ria non pendet, ad hæc omnia concinnè torquebitur illud, quod ibidem dicitur,

Non hic uictoria Teucrum
Vertitur.

Vera fortitudo neq; maledica eſt, neq; minax.

VBI ſignificabimus uirum fortem, ac magnanimum non ſolere eſſe maledicum, aut minacem, afferemus illud ex eodem libro,

Dicta uolant Ligeri, ſed non et Troius hæros
Dicta parat contra, iaculum nã torquet in hoſtẽ.

Alieno auxilio potentes.

OLIM inſignis adoleſcens nobiliſſimæ cuidã, ac ditiſſimæ matronæ operam dabat, & cum ei non admodum amplum eſset patrimonium, & nihilominus pretioſiſſimis ueſtibus ornatus incederet, ac ingentes ſumptus faceret; uir quidam erudiriſſimus, ac feſtiuus, ad quem aliquando me conferre ſolebam; cum fortè fortuna ſermo in hunc adoleſcentem incidiſſet, Maronianum illud attulit ex eodem libro,

Venus. (nec te ſententia fallit)

Troianas ſuſtentat opes;

Quod pulchrè etiam accõmodari poterit in eos, qui alicuius principis opibus, ac fauore adiuti, in ciuitate multum pollere exiſtimantur.

Orationem ſuam redarguentis.

VBI quis oratione longè digreditur ab eo, quod iam exorſus fuerat, eleganter accommodabit illud ex eodem libro,

Quo feror? unde abij?

Vni omnes inſenſi.

DE eo, cui omnes inſenſi ſint, & quem omnes acerrimè perſequantur, appoſitè dicetur illud ex eodem libro,

Omnibus uni

Vni odijsq; uiro, telisq; frequentibus inſtant.

Extra periculum feroces.

IN timidos, & ita demum feroces, ſi periculum abſit, uelut in clancularios obtrectatores, qui coram congredi non auſint; uel in eos, qui uirum quempiam eruditiſſimum ſcriptis quidem

dem laceſſere non deſinunt, ſed coram diſputare, & quaſi pedem conferre non audent, lepidiſſimè torquebis illud ex eodem libro,

Nec cuiquàm iraſci propius uè accedere uirtus,
Sed iaculis, telisq; procul clamoribus inſtant,

Et illud quod ſtatim conſequitur.

Non ulli eſt animus ſtricto concurrere ferro,
Miſſilibus longè, & uaſto clamore laceſſunt.

Clanculum aliquem offendere turpe eſt.

In eum, qui in abſentem maledictis ſæuire, & clanculum aliquem lædere turpe putet, Item in eum, qui coram congredi, & ſe alteri aduerſis frontibus æquare auſit, optimè quadrabunt uerſus illi ex eodem libro,

Nec iacta cæcum dare cuſpide uulnus, ſubaudi. dignatus,
Obuius aduerſoq; occurrit, ſeq; uiro uir
Contulit.

Sublata eſt ſumma difficultas.

Cum multis inuicem diſputantibus aliquis, ſtrenuus alioquin diſputator, & qui pugnæ nodus

dusque , moraque erat , ſuccubuerit , uel cùm remotum eſt argumentum , quod firmiſſimum eſſe uidebatur , ſiue cùm negocij ſummam difficultatem ſublatam eſſe ſignificabis , non infeſtiuè uſurpabis illud ex eodem libro ,

Pars belli haud tēnenda uiris iacet altus Orodes,

cui applicabis illud in undecimo ,

Maxima res effecta uiri ; timor omnis abeſto.

De me Deus uiderit.

AT de me Deus ipſe uiderit , huic ſententiæ pulchrè congruet id ; quod apud Virgilium ait Mezentius in eodem libro ,

Aſt de me Diuum pater, atq; hominū Rex, Viderit.

De conuicto.

VBI de eo loqui contingit, qui ab aliquo ſpinoſis argumentorum laqueis conuictus fuerit, nō intempeſtiuum erit illud ex eodem libro ,

Ille pedem referens , & inutilis , inq; ligatus, Cedebat.

Maiora uiribus audentem reprehendentis.

IN eum, qui temerè, ac præter uires prouinciam aliquam aggredi cupiat, & quem monebimus perſoluturum temeritatis pœnas, quadrabit illud ex eodem libro,

Quò moriture ruis? maioraq; uiribus audes?

A uictore inſigni uinci glorioſum eſt.

VBI ab eruditiſſimo, & præſtantiſſimo uiro, quempiam in literaria pugna uinci contingit, ſolandi eum cauſa tempeſtiuè citabimus illud ex eodem libro,

Aeneæ magni dextra cadis;

Huc applica illud, quod paulo ſuperius legitur in eodem libro,

Aut ſpolijs ego iam raptis laudabor opimis,
Aut leto inſigni;

Et illud in undecimo

Nomen tamen haud leue patrum
Manibus hoc referes, telo cecidiſſe Camillæ.

Prouocantis.

IN eum, qui aliquem conuicijs prouocat, uel ad diſceptandum inuitat, quadrabit illud ex eodem libro,

Irritatq́; uirum telis, & uoce laceſſit.

Vehemens animi dolor;

CVM *animo dolor altius inſedit, ac penetrauit, mirum in modum congruet illud, quod apud poetam inquit Euander in eodem libro, dum nati mortem deplorat,*

Nunc altè uulnus adactum,

Cui non abſimile eſt illud in undecimo,

Nunc uulnus acerbum

Conficit;

Poterit etiam detorqueri ad ſcomma, uel dictū, quo grauiter quis ſit commotus, & quod altius in animum quis demiſerit.

Ad certandum paratus.

IN *eum, qui ad certandum, diſputandum uè accedat optimè instructus, & armatus, quadrabit illud ex eodem libro,*

Manusq́; ambas iaculis onerauit acutis,

In magna calamitate ſolatium exiguum.

VBI *amico in maximis calamitatibus, &*

anguſtijs

anguſtijs conſtituto, quis tantum collachrymat, aut condolet, cum alio opus eſſet auxilio, non inſcitè uſurpabimus illud, quod habetur apud diuiniſſimum poetam in undecimo Aeneidos libro,

Solatia luctus
Exigua ingentis.

Mortuis non conuiciandum.

CVM *ſignificabimus non eſſe inſultandum uicto, nec eſſe exercendam ſimultatem cum ſepulto, non inconcinnum fuerit illud, quod apud eundem inquit Aeneas in eodem libro,*
Nullum cum uictis certamen, & æthere caſſis,
Sic Vlyſſes apud Homerum in odyſſea reprehendit iactantes ſe ſuper procis iam extinctis, quanquàm iure occiſi fuerant.

Quod obuium præſensq; eſt.

DE *ijs, quæ obuia, atq; expoſita ſunt, aut quæ facilè intelligi, & cognoſci poſſunt, abſque longa narratione aptè dicetur illud ex eodem libro,*
Ante oculos, interq; manus ſunt omnia ueſtras.

Omnibus uiribus.

Omnibus uiribus pugnatum, aut diſputatum eſt, ad id deflectere licebit illud ex eodem libro,

Toto certatum eſt corpore regni.

Magis conſilio, quàm facto ualens. Item Eloquens, ſed imbellis.

In eum, qui conſilio quidem multùm præſtet, ſed facto parum ualeat, quadrabit illud ex eodem libro,

Frigida bello

Dextera, conſilijs habitus non futilis author,

In eum etiam qui eloquens ſit, ſed imbellis, ijdẽ uerſus ita accommodari poterunt,

Lingua melior, ſed frigida bello

Dextera;

Ita, Demoſthenes tàm ignauus in bello fuiſſe legitur, quàm in concionibus inuictus.

In militem glorioſum.

In Trhaſones iſtos, ac milites glorioſulos, qui ſequipedalia effundunt uerba, ac paſſim ar-

mis

mis oſtrepunt, acerba tuentes, ac ſemper dira minantes, aptè conueniet illud ex eodem libro,

Et cœlum territat armis.

Cum rerum uices immutantur.

Amnis et Adriacas retro fugit Aufidus undas, Virgilij uerſus eſt in eodem libro, in quo ſubeſt prouerbialis allegoria, qua uti poterimus, cum quippiam præpoſtere fieri contingit, & cùm legitimæ rerum uices inuertuntur, ad quod facit, quod in odis dixit Horatius,

Quis neget arduis
Pronos relabi poſſe riuos
Montibus, & Tyberim reuerti,
Cum tu coemptos undiq; nobiles
Libros Panæti, Socraticam & domum
Mutare Loricis Iberis
Pollicitus meliora tendis?

Victoria non incruenta.

In eos, qui multis factis ſumptibus litem tandem uicerint, detorqueri commodè poterit illud ex eodem libro,

Troianis cum multo gloria uenit
Sanguine;

Sanguine; ſuntq; illis ſua funera;
Et profectò eò iam deuenit iudicum corruptela, ac patronorum rapacitas, ut ſæpe detur locus uſurpandi hoc carmen, & quod de Cadmea uictoria traditum eſt ex ueteri prouerbio.

Deficere in ipſo initio.

CUM nos ipſos reprehenderimus, quòd ſtatim poſtquàm aliquod egregium facinus aggreſſi fuerimus, in ipſo initio deficiamus, ac offendamus, non ſine prouerbiali ſchemate citabimus illud ex eodem libro,

Cur indecores in limine primo
Deficimus?

Ante periculum trepidas.

IN eos, qui conſternantur animo, antequã periculum ipſũ appareat, ſcitè torſerimus illud quod mox ſubnectitur in eodem libro,

Cur ante tubam tremor occupat artus?

Semper ſperandum melius.

Quoties innuerimus adhuc non eſſe deſperandum

dum propterea, quòd tempus melioris fortunæ occaſionem afferre ſoleat, nõ incongruè recitabimus uerſus illos Maronianos ex eodem libro,

Multa dies, uariusq; labor mutabilis æui
Rettulit in melius, multos alterna reuiſens
Luſit, & in ſolio rurſus fortuna locauit.

Non detrectantis certamen.

FERÈ *prouerbij faciem habebit illud, quod ſequitur in eodem libro,*

Ibo animis contra, uel magnũ præſtet Achillẽ,

Quod conueniet, ubi quis innuet, ſe non detrectare congreſſum alicuius fortiſſimi uel doctiſſimi uiri; conſimilem in modum à poeta dictum eſt illud in ſexto,

Alius Latio iam partus Achilles,

dum Turnum ſignificaret, cum quo Aeneæ futura res erat;

Et in Bucolicis

Atq; iterũ ad Troiã magnus mittetur Achilles.

Ego glaciem ſcindam.

EGO *uiam aperiam, ac in incipiendo negocio prior ero, uel ego prius ad diſputandum aggrediar,*

grediar, ad hæc omnia eleganter applicabitur illud ex eodem libro,

Ipſe ego prima manu tentabo pericula belli,

In pœnis non eſt habenda perſonarum acceptio.

VBI ſignificabimus in pœnis infligendis habendam non eſſe perſonarum acceptionem, accommodare licebit illud ex eodem libro,

Tros, Italusuè mihi pariter det ſanguine pœnas.

Vbi auxilij alieni egens, alteri auxilium ferre nititur.

VBI imbecillus imbecillo, et pauperrimus pauperrimo ſubuenire conatur, uel ubi quis parum opis indigenti præſtat, adaptabimus illud ex eodem libro,

Dextram labenti tendit inertem.

Facilè eſt uincere non repugnantes.

NON reluctantes, ac non reſiſtentes uincere procliue eſt, cum hac ſententia congruet illud ex eodem libro,

Neq;

Neq; enim labor agmine uerſo.

Pugnandum paribus armis.

CVM *is, quocum legibus, aut rationibus, ſiue argumentis ipſe agere inſtitueras, ad manus deuenit, ferroq; ac ui rem gerere cœpit, cùm debuiſſet paribus aſſiſtere in armis (ut uſurpem id quod de Camilla ibidem dicit Virgilius) non inelganter accommodabimus illud ex eodem libro,*

His decuit mecum concurrere telis.

At Deus hæc aſpicit.

SI *quando ſignificabimus Deum Opt. Max. uidere crimina, ac ſcelera, quæ à mortalibus quotidiè perpetrantur, nec paſſurum eos inultos, tempeſtiuè afferetur illud ex eodem libro,*

At non hæc nullis hominum ſator atq; Deorum
Obſeruans oculis ſummo ſedet altus Olympo.

Et huic congruit ille à græco trãslatus uerſiculus

Eſt iuſtitiæ oculus, qui ubiq; conſpicit.

A muliere uinci deforme eſt.

In eos, quos à muliere aliqua rationibus ac argumentis ſuperari contigerit, uel in eos, qui ab effæminato quopiam, atq; imbelli ſe uinci patiantur, non infeſtiuè torquebimus illud ex eodem libro,

Fœmina palantes agit, atq; hæc agmina uertit.

Fruſtra habet, qui non utitur.

Cum redarguere uolueris eos, qui ingenio, opibus, uiribus, ac literis non utuntur cùm habeant; non ineptè fortaſſe uſurpabis illud ex eodem libro,

Quo ferrũ? quid uè hæc geritis tela irrita dextris?

Cui conſimile eſt illud quod ſupra dictum eſt de Priamo in ſecundo Aeneidos,

Et inutile ferrum

Cingitur.

De eo qui uitalia ferire quærit.

De eo, qui cogitat maledictum, aut ſcomma iactare, quod alterius animo altius inſideat, & grauiter eum commoueat, ac pungat, Item de eo qui inimico, uel aduerſario nocere quærit in ea parte, in qua minus tutus, & minus po-

tens

tens eſt, ut grauiorem plagam infligat, aut maius incommodum inferat; haud durè fortaſſis uſurpabitur illud ex eodem libro,

Partes rimatur apertas,
Quà uulnus letale ferat.

Voluntas adeſt, & facultas.

Cvm ultra promptum animum etiam uires adeſſe ſignificabimus, non illepidè accommodabimus carmen illud, de quo apud optimū, Maximum poetam in duodecimo Aeneidos libro,

Animusq;, aurumq; Latino eſt.

Inſania eſt illuc reuerti, unde uix euaſeris.

Vbi quis confugit ad conſilium, quod prius nocuit, uel redit ad commercium illius, à quo ſemel deceptus fuit, & ad alia huiuſmodi non inſulsè torquebitur illud ex eodem libro,

Quo referor toties? quæ mentem inſania mutat?

Et noſtra tela cuſpidem habent acuminatam.

Qvoties ſignificabimus, nos non omnino inferiores eſſe, uerum & nobis quoq; non deeſſe facultatem tum nocendi, tum propulſandi, rectè adhibebimus Virgilianum illud ex eodem libro,

Et nos tela (pater) ferrūq; haud debile dextra
Spargimus; et noſtro ſequitur de uulnere sāguis,

Cui ſimile Ouidianum illud,

Et mihi ſunt uires, & mea tela nocent.

Familiæ columen.

I N *eum, qui uirtute ſua labentem familiā ſuſtentare, atq; erigere poſſit, appoſitè conueniet id, quod de Turno ait Poeta in eodem libro,*

In te omnis domus inclinata recumbit.

Sinite nos, inter nos noſtras finire lites.

C V M *monebimus aliquos ne ſe immiſceant litibus noſtris, aut negocio, quod nihil ad eos ſpectet, ſed permittant, ut ipſi inter nos decernamus noſtro periculo, quorum res agitur, non infeſtiuè accommodabimus illud ex eod. lib.*

Teucrum

Teucrum arma quieſcant,
Et Rutulum; noſtro dirimatur ſanguine bellum.
Congruet etiam, ubi diſputaturi monebunt aſtantes, ut ſileant, & neutri opem, aut auxilium ferant. Et tunc etiam applicari poterit illud ex eodem libro,

Parcite iam Rutuli, et uos tela inhibete Latini.

Res armis dirimatur.

Cvm aliqui ex ijs, inter quos diſceptari cõtinget de alicuius ſucceſſione, & ijs rebus, quæ nobis à fortuna conceduntur, aut etiam de honore, cuius cupiditas mortales ſæpe tranſuerſos agit; manu conſerendum, & rem non in foro, ſed armis dirimendam, ac finiendam eſſe exiſtimabunt, non inſcitè uſurpabitur illud ex eodem libro,

Illo quæratur coniunx Lauinia campo.

Adiurantis non mutaturum ſententiam.

Cvm adiurabimus nunquam futurum, ut à propoſita ſententia, ac conſilio recedamus, uſui fuerit illud ex eodem libro,

Nec me uis ulla uolentem,

Auertet

Auertet, non ſi tellurem effundat in undas
Diluuio miſcens, cœlum uè in tartara ſoluat.

Vnicuiq; ſanguinem ſuum redimere licet.

C V M *pro ijs, qui nobiſcum ſanguine, ac ſumma neceſſitudine coniuncti ſunt, quodlibet audendum, & nullum diſcrimen recuſandum eſſe ſignificabimus, uſui fuerit illud ex eodem libro,*

Tu pro germano ſi quid præſentius audes
Perge, decet;
Et illud in decimo
Fratrem ne deſere frater.

Malum conſilium conſultori peſſimum.

C V M *malum conſilium in authoris caput redundat, & pœnas luit is, qui ſceleris author fuerat, pulchrè quadrabit illud ex eodem libro,*

Cadit ipſe Tolumnius augur,
Primus in aduerſos telum qui torſerat hoſtes,

Ac notum eſt, quod legitur de Perilo, qui primus à ſe inuentum, atq; excogitatum tor-

menti genus expertus eſt.

Aut ipſe fuit, aut ipſius ſimillimus.

S I quando contenderimus eundem aliquem fuiſſe, qui tamen ſe fuiſſe omnino neget, haud ineptè applicabimus illud, quod de Iuturna in faciem Metiſci Aurigæ conuerſa dixit poeta in eodem libro,

Cūcta gerēs uocēq;, et corpus et arma Metiſci.

Varijs curis animum diſtractus.

D E eo, cuius animus uarijs curis, ac diuerſis moleſtijs ſit oppreſſus, ita ut incertus ſit, quid conſilij capiat, aptè dicetur illud ex eodem lib.

Heu quid agat? uario nequicquā fluctuat æſtu,
Diuerſæq; uocant animum in contraria curæ.

Graui ira percitus.

I N eum, qui ſupra modum in iram exarſerit, quadrabit illud ex eodem libro,

Irarumq; omnes effundit habenas,

Cui adaptabitur illud, quod in eodem libro ait Iuppiter Iunonem alloquens,

Irarum

Irarum tantos uoluis ſub pectore fluctus?

Summis uiribus.

Svmma *opum ui niti, pro eo quod eſt ſummis uiribus niti, haud inelegãter dixerimus; quod mutuò ſumptum uidebitur à Virgilio in eodem libro,*

Pro ſe quiſq; uiri ſumma nituntur opum ui,

In eandem ſententiam optimè etiam torſeris illud ex decimo Aeneidos,

Fert ingens toto connixus corpore,

Item illud,

Pede nixus, & haſta.

De eo, qui maiorum ſuorum gloria ſe extollat.

Evm, *qui cùm propria uirtute, in qua uera gloria, & uera conſiſtit nobilitas, inniti non poſſit, maiores ſuos intempeſtiuè numeret, ac iactitet; haud ineptè, quis dixerit atauos, et auorum antiqua ſonare Nomina, excerpens id à ſummo omnium Vate in eodem libro, Vbi de Murrano ſic ait,*

Atauos, & auorum antiqua ſonantem

Nomina,

Nomina, per regesq; actũ genus omne Latinos,

Vt primum in ſe rediјt.

V B I quis ſe ipſum colligit, & ſenſui ratio iam dominari poteſt, quadrabit illud ex eodem libro,
Vt primum diſcuſſæ ũbræ, et lux reddita mẽti ẽ.

Omne crimen & culpam in ſe tranſmouentis.

V B I quis mali alicuius cauſa fuerit, & omnis omnino culpa in ipſum transferenda erit elẽgantiſſime adaptabitur illud quod de Amata dicitur eodem in libro,
Se cauſam clamat, crimenq;, caputq; malorum.

Anceps euentus rei.

Q V I anceps rei diſcrimen ſignificabit, & incertum utrò uergat uictoria, adhibere commodè poterit illud ex eodem libro,
Iuppiter ipſe duas æquato examine lances
Suſtinet;
Quòd ſũpſit ab Homer. Iliad. uigeſimo ſecũdo,

Vbi & ſingulare certamen Hectoris, & Achillis, ut hic Aeneæ, & Turni deſcribitur.

In medio conatu deficere.

IN *fruſtratos Conatus non abſurdum fortaſſe fuerit detorquere illud ex eodem libro,*

At perfidus enſis
Frangitur, in medioq; ardentem deſerit ictu.

In tergiuerſantem.

IN *tergiuerſantem, atq; horſum, et illorſum Se torquentem, non inconcinnè deflexeris illud ex eodem libro,*

Et nunc huc, inde huc, incertos implicat orbes.

In eundem etiam quadrabit illud, quod paulo poſt legitur in eodem libro,

Mille fugit, refugitq; uias.

Non parua de re agitur.

QVOTIESCVNQ; *de re non modica diſceptari ſignificabis, uſui tibi eſſe poterit illud ex eodem libro,*

Nec enim leuia, aut ludicra petuntur
Præmia,

Præmia, ſed Turni de uita, et ſanguine certāt; poterit et per ironiam in eos torqueri, qui de lana caprina (ut aiunt), & de rebus minimi momenti acerrimè inter ſe dimicant; ac contendunt.

Alteri facilè concedentis.

CAM quis ſe totum alterius uoluntati, ac arbitrio libentiſſimè remittit, atq; alteri facilè concedit, mirè congruet illud ex eodem libro,

Do quod uis, & me uictusq; uolensq; remitto, uerba autem ſunt Iouis obſequentis, & morem gerentis Iunoni, ne Latini nomen mutent.

Ingenti timore perculſus.

IN eum, qui ſubito metu, aut terrore uehementer concuſſus ſit, quadrauerit illud ex eodem libro,

Illi membra nouus ſoluit formidine torpor, Arrectæq; horrore Comæ, et uox faucib' hæſit.

Omnia tenta, ac experire.

CVM alicui iubebimus, ut omnia tentet, nihilq; non faciat, non infeſtiuè uſurpabimus illud ex eodem libro,

Verte omnes te te in facies, et cõtrahe quicquid
Siue animis, ſiue arte uales;

Quod non diſſimile eſt illi, quod ſupra citauimus in ſeptimo,

Me met in omnia uerti.

Hic autem alluſiſſe uidetur Virgilius ad ea, quæ ipſe Georgicorũ quarto cecinit de Protheo, in uarias ſe ſubinde uertente formas, dum ſe e uinculis euoluere, atq; eximere quærit. unde & ſubdit,

Opta ardua pennis
Aſtra ſequi, clauſumq; caua te condere terra.

Verborum ſtrepitu minimè moueor.

QVI ſæuis alicuius uerbis, ac minis nequaquam ſe moueri, ac deterreri dicet, citare poterit illud ex eodem libro,

Non me tua feruida terrent
Dicta ferox.

Periculum imminens.

De eo, qui periculum, aut malum aliquod imminens ac inſtans timeat, atq; horreat, non inſcitè quis protulerit illud, quod de Turno in ſummis anguſtijs conſtituto dicitur in eod. lib.

Telumq; inſtare tremiſcit.

Lingua hæret palato.

Vbi oraturus rerum magnitudine perterritus, uocem ſibi faucibus hærere, ac uehementer ſe commoueri, ac perturbari dixerit, accommodabit illud ex eodem libro,

Non lingua ualet, non corpore notæ
Sufficiunt uires, nec uox, aut uerba ſequuntur.

Se iam uictum fatentis.

Vbi quis in lite ſe deuictum fatetur, ac libenter concedit rem, quæ litigandi, aut decertandi cauſam præbuerit, haud intempeſtiuè uſurpabimus illud quod apud poetam ait Turnus in fine eiuſdem libri,

Tua eſt Lauinia coniunx.
Vlterius ne tende odijs;

Pulchrè etiam accommodabitur ubi dixerimus finitis, ac diremptis litibus, iam parcendum

eſſe

eſſe odijs, uel ubi quempiam cohortabimur, ne poſt uictoriam ſæuire uelit; ut, enim, inquit Põtanus, in uictos proſtratosq; humanitas exuẽda non eſt, nec tela in captiuos, uerum in acie ſtantes exercenda ſunt; Quamuis autem Aeneas Turnum ſupplicem, dextramq; proten dentem interimat, Tamen ſatis artificiosè agit Virgilius, nam et eum hoſti parcere cogitan tem inducit, unde pius, et generoſus oſtenditur, ex eo uero, quod illum interficit, non parua etiam gloria, ac laus in Aeneam redundat, ut enim Euandro ſolatium aliquod afferat, Pallan tis mortem ulciſcitur.

F I N I S.

INDEX SENTENTIARVM QVIBVS MARONIANI verſus accommodati fuerunt in hoc libello.

A Auſculta, & perpende. car. 8
Aliquid age, quod uſui ſit poſteris, 15
Amor non curat lachrymas. 16
Audendum tibi aliquid ſi uis eſſe aliquid. 22
Adeo à teneris aſſueſcere multum eſt. 25
A fronte ſimul, & occipitio. 30
Ad ardua præclaraq́; pauci confugiunt. 32
Aliud uultu præſefert, aliud corde gerit. 36
Alterius opem petentis. 43
Ad utrumuis paratus. 45
Aduerſus numinis decretum humana prouidentia nihil ualet. 51
Argumentum parum forte. 53
Amicus fidus. 54
Ad felicem inflectere parietem. 56
A recta uia, ſeu ab honeſto deflectentes. 57
Attende diligenter. 59
Ancipitis animi. 63
Ab irata fœmina cauendum. 67
Alij maiora pertractent. 69

Ad

Ad laborem adhortantis. 70
Abijcientis animum 91
Animus inquietus, & magna aggredi cupiens. 96
Alijs proſpiciens non ſibi. 99
Acerrima contentio. 101
Aduerſæ fortunæ ſuccumbens 105
Aequa concertatio. 106
Aduerſarium contemnentis. 107
Alieno auxilio potentes. 109
A victore inſigni vinci glorioſum eſt. 113
Ad certandum paratus. 114
Ante periculum trepidas. 118
At Deus hæc aſpicit. 121
A muliere vinci deforme eſt. 121
Adiurantis non mutaturum ſententiam. 125
Aut ipſe fuit, aut ipſius ſimillimus. 127
Anceps euentus rei. 129
Alteri facilè concedentis. 131

B.

BONAM *fortunam quærimus.* 36
Benefactorum tuorum memoria erit immortalis. 42

Beneficij immemores non erimus. 86
Bona ſpes oſtenſa. 103

C.

Cauendum ne morbida pecus totum ouile corrumpat. 26
Curis uacuus. 26
Conſilium omne tibi detegam. 37
Cauendum ab eo, qui ſemel impoſuit 44
Cedendum prudentioribus. 57
Cura grauis. 67
Cum fortuna non pugnandum. 68
Conatus exitum ſortitus. 89
Carpentis inſinuatione attentem. 93
Culpam omnem in ſe tranſferentis. 99
Culpam ab aliquo remouentis. 102
Comminus res agitur. 106
Clanculum quempiam offendere turpe eſt. 111
Cum rerum uices immutantur. 117

D.

De rebus imparibus. 3
De profecturis in longinquas oras. 4
De rebus palam abſurdis. 8

De rebus præpoſteris. 12
Deprimentis aliquem. 14
De eo qui inchoata reliquerit. 27
De conuictо. 31
Dies citius, quàm oratio me deficiet. 38
Dux minimè idoneus. 39
Deus ulciſcetur. 40
De eo, qui in periculo non ſuccumbat. 61
Dum eram iunior. 71
De rebus abſtruſis. 82
Dabo quod uis. 85
Difficilia facilè ſuſcitans. 86
Diu diſſimulatum aperientis. 104
De eo, qui ab ambitionis fluctibus ſe remouerit. 105
De me Deus uiderit. 112
De eo, qui conuictus fuerit. 112
Deficere in ipſo initio. 118
De eo, qui uitalia ferire quærit. 112
De eo, qui maiorum ſuorum gloria ſe extollat. 128

E.

Ex animo meo nunquàm effluet. 3
Extenuantis uires ſuas. 14

Egregia

Egregia elucet indoles. 23
Ego quoq; aliquid ſum. 47
Exitus inſperatus. 55
Ex minimis initijs maxima. 62
Ego quoq; ſum nobilis, ac illuſtris. 81
Excelſus animus. 89
Extra periculum feroces. 110
Eloquens, ſed imbellis. 116
Ego glaciem ſcindam. 119
Et noſtra tela cuſpidem habent acuminatam. 123

F.

FVCO *non credendum.* 5
Fama celebris. 38
Fatis adactus. 38
Fruſtratus conatus. 53
Fœmina nihil mobilius. 66
Fortunæ commutatio. 68
Fortuna aſpirans. 69
Fauſtus exitus. 69
Forma uirtutem auget, atq; ornat. 71
Fortuna uſ uequaq; fauens. 76
Fortuna tunc uel maximè metuenda eſt cum blanditur. 77

Fatum immutabile. 82
Fortuna propitia. 84
Fortunæ impetus. 90
Fatis imputandum. 92
Fortis inter imbelles. 102
Fortes fortuna adiuuat. 105
Facile eſt uincere non repugnantes. 120
Fruſtra habet qui non utitur. 122
Familiæ columen. 124

G.

GRAVI *ira percitus.* 127

H.

HODIE *nullus, cras maximus.* 24
Hoſtem in manu habet. 53
Hoc poſteri noſtri curent. 60
Hic nodus iacet. 77
Hactenus fortuna ſæuierit. 78
Huius humanæ peregrinationis comes. 80
Hic conſiſtit difficultas. 81

I.

Inchoata

Incboata deſeruiſti. 6
Infantiſſimus inter eloquentiſſimos. 14
In parum prouidos. 17
Inſinuatione non utar. 19
Is demum eſt beatus, qui ſe beatum eſſe ſciat. 21
In terribilem, ac minacem. 24
In rebus paruis bene uerſari magna laus eſt. 27
In exiguo corpore maior regnat uirtus. 28
In nebulones, ac inutiles. 29
Iam ad exitum feſtinat oratio. 30
In eos, qui dura experti fuerint. 36
Impar congreſſus. 39
In penitus ignotos. 39
Iiſdem fatis compulſus. 41
In tanta rerum opportunitate non ceſſabit. 44
Inimicis ſemper diffidendum. 45
Iam proximus ardet paries. 48
Inſigniter callidus. 48
Iam mors aduenit. 49
In formidoloſum. 55
In uoti compotem. 61
Inexorabilis. 64
In ingratum. 64

Implacabilis

Implacabilis. 65
Ipſiſſimus eſt. 65
In ebrium. 67
Incepta perficere deliberantis. 67
Iam ſenex eſt. 72
In aberrantem à ſcopo. 74
In eadem ſententia perſiſto. 76
In conſcium. 78
In implacabilem. 83
In gloriabundum. 83
In aduerſis perfidus. 87
In immiſcentem ſe negocio minimè ad ſe pertinenti. 88
Inſignis, ac celebris. 89
Ingens rerum multitudo. 91
In homines agreſtes. 94
In puero cura ſenilis. 97
Incerto uulnus ab hoſte tulit. 98
In ſenectute uires animi non deficiunt. 100
In magna calamitate ſolatium exiguum. 114
In militem glorioſum. 116
In pœnis non eſt habenda perſonarum acceptio. 120
Inſania eſt illuc reuerti, unde uix euaſeris. 123
In medio conatu deſſicere. 130

In tergiuerſantem. 130

Ingenti timore perculſus. 131

L.

LATET *ſub melle uenenum.* 9

Longa peregrinatio. 55

Longa propagatio. 57

Lingua hæret palato. 133

M.

MAXIMÈ *diſſidentium conciliatio.* 11

Mores præſentis ſæculi deteſtantis. 18

Mutuo ſe conuiciantes. 24

Miſera hominum conditio. 27

Maxima attentio. 33

Miſerias expertus miſeris facilè fauet. 43

Mors omnibus eſt communis. 52

Maxima tempeſtate iactatus. 58

Maximis ereptus malis. 60

Multis huius uitæ malis agitatus. 61

Manus conſerunt. 72

Modis omnibus incitat. 73

Modo amici, modo inimici. 73

Maiora

Maiora aggredior. 84
Maiorum præſentia multum confert. 94
Modis omnibus inſectari. 99
Moderator negocij. 104
Maiora uiribus audentem reprebendentis. 112
Mortuis non conuiciandum. 115
Magis conſilio quàm facto ualens. 116
Malum conſilium conſultori peſſimum. 126

N.

Nominis tui gloria apud poſteros ſemper uiuet. 10
Non uni omnia Dij dederunt. 13
Non poſſum omnia oratione complecti. 18
Non omnes omnia aſſequuntur. 20
Negligentia inualeſcit morbus. 26
Non cedentes, niſi uicti uel uictores. 29
Neque enim ignari ſumus. 35
Non adeo ſumus inhumani. 40
Non refert quemadmodum uictoria quæratur. 50
Non eſt opus tali auxilio. 52
Nimis anxius. 63

Non

Non dimittenda bene gerendi negocij opportunitas. 66
Numero inferiores, ſed uirtute ſuperiores. 74
Non æqua concertatio. 75
Non cedendum malis. 79
Non inferiora ſecutus. 82
Nil linquere inauſum. 85
Nobilis. 87
Non quis dicat, ſed quid dicatur inſpiciendum eſt. 97
Nouis diuitijs ſuperbiens. 101
Nondum obducta eſt cicatrix meis uulneribus. 104
Non hic negocij ſumma uertitur. 108
Ne quis ſecundis rebus infletur. 108
Non detrectantis certamen. 119
Non parua de re agitur. 130

O.

OPEM *alteri pollicentis.* 16
Opus intentatum aggredi. 25
Omnibus fortunæ procellis iactatus. 31
Omni ſpe deſtitutus. 58
Otium optatum aſſecutus. 60

T *Orationem*

Orationem ſuam carpentis 66
Omnia perturbauit. 75
Omnes idem cupiunt. 86
Operam ſuam pollicentis. 93
Omnes res meas tibi committo. 97
Obliuiſcentis, & eijcientis ex animo. 97
Orationem ſuam redarguentis. 110
Omnibus uiribus. 116
Omne crimen, & culpam in ſe tranſmouentis. 129
Omnia tenta & experire. 131

P.

Periculum fugiendum 9
Parendum maioribus. 10
Priuſquam rem ipſam diſcutiamus. 17
Puerorum contentiones. 29
Per te ſum acceptus principi. 32
Parentis ſollicitudo. 43
Paupertas fidem diminuere non debet. 46
Patientia ſuperantur aduerſa. 73
Parendum ſenum conſilijs. 74
Prudentis animo nihil nouum unquam accidit. 80
Pauci uirtutem aſſequi potuere. 81

Præſenti

Præſenti animo opus eſt. 83
Parcendũ humilibus at reprimẽdi inſolẽtes. 83
Parta ſecuritas. 90
Prius mare exures. 95
Perſiſtentis in eadem ſententia. 96
Prouidus. 98
Prudentiæ Clypeo ſe obtegens. 107
Prædiues. 108
Prouocantis. 113
Pugnandum paribus armis. 121
Periculum imminens. 132

Q.

QVI ſibi accerſiuit optauit uè quæ nocuere. 5
Qui bene monentibus non parent. 18
Quod præſidium nobis reſtat? 49
Quibus ex ſententia res ſuccedunt. 57
Quocuuq; ratio, ſeu fortuna tulerit eundum eſt. 59
Quoad uixero. 63
Quod pulchrum idem amicum. 71
Quod hac non ſuccedit uia alia aggrediar. 85
Quod obuium præſensq; eſt. 115

R.

Res præclara indigniſſimo contigit. 11
Res infiniti laboris. 19
Rem longam breuiter narraturum pollicentis. 37
Reijcientis culpam. 54
Reijcientis authorem formidinis. 88
Relinquendum eſt negocium idoneis. 100
Res armis dirimatur. 125

S.

Silentium fit. 15
Spartam nactus es hanc orna. 21
Satis multa diximus. 22
Sine te nihil egregij conor. 23
Sine diſcrimine aliquo omnes tractabo. 41
Solus miſertus. 41
Suo gladio ipſos iugulabimus. 51
Si meo modo mihi uiuere liceret. 64
Subitum præuidere malum. 73
Sopita odia ſuſcitat. 93
Sæpe temere eueniunt, quæ optare non audeas. 94
Suam cuiq; dolere iniuriam. 95

Sublata

Sublata eſt ſumma difficultas. 111
Semper ſperandum melius. 118
Sinite nos inter nos noſtras finire lites. 124
Summis uiribus. 128
Se uictum fatentis. 133

T.

Trahit ſua quenq; uoluptas. 6
Tuum eſt imperare parere autem meum eſt. 32
Tollere criſtas. 101

V.

Vbi alij laboribus noſtris fruuntur. 5
Vbi princeps uoluptati deditus eſt. 7
Vterq; præclare ſe geſſit. 10
Vir inſignis, ac celebris. 10
Vbi infantiſſimus eloquentiſſimum prouocat. 12
Vndiq; difficultates. 33
Veteris iniuriæ non facile obliuiſcens. 33
Vbi ualde ſæuit fortuna. 34
Victi parum poſſunt. 40
Virtus etiam in hoſte probanda. 42
Vulgus mobile, & inconſtans. 44

Vbi

Vbi aliqui eandem de omnibus opinionem imbiberint. 46
Vates ſecum omen auferat. 47
Vbi cognitum eſt quod erat occultum. 47
Victor à uicto quandoq; ſuperatur. 49
Vir conſtans. 54
Vndiq; periculum imminet. 59
Varijs calamitatibus uexatus. 63
Vbi quis in præſentaneo periculo deſeritur. 70
Vento & fulmine ocyor. 70
Vnus pro multis plectitur. 76
Vbi occulta proditur coniuratio. 78
Vitæ malis exemptus. 79
Virtutem omnem explicat. 92
Vbi furta deteguntur. 92
Vbi aliquis fortunæ telis ullo modo reſiſtere nequit. 103
Vbi lis incipitur. 106
Vita breuis eſt gloriæ curſus ſempiternus. 107
Vera fortitudo neq; maledica eſt, neq; minax. 109
Vni omnes infenſi. 110
Vehemens animi dolor. 114
Victoria non incruenta. 117
Vbi auxilij alieni egens alteri auxilium

re